



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



4°

S. 22. Art.

B. S.





TOMI TERTII

PARS ALTERA.





ACCHIA Opidi Mascularum municipium in montis *Ætnæ* orientali latere, sed plano insidens solo, Parochiam *Deiparæ* de *Providentia* titulo, cum altera minori Ecclesia *S. Matthæo* Apostolo dicata habet; quarum quælibet laicorum sodalitiis instruitur. Haud procul alterum ex municipiis, cum *S. Joannis* cognomine eade, ubi etiam sacra administrantur, in declivi sitam videtur. Utrumque autem a *Mascalis* III. pass. M. in austrum diffidet.

MADONIA Mons post *Ætnam* in *Sicilia* secundus, qui rectius *Montium* dici cumulus potest. Vide *Nebrodes*.

MALECTUM Opidulum ad septentrionales *Ætnæ* radices in occiduo *Randatii* agro, declivi loco ab *Manfredo de Malecto* Menarum in *Sicilia* Comite, *Friderici Cæsaris* affine, circa MCCCXIII. ex *Pirro*, constructum dicitur, & de nobilissimæ gentis suæ nomine nuncupatum. Idem *Manfredoniæ* in *Apulia* auctor vulgatur, qui ducta in uxorem *Pina* de *Bonifacio Paternionis* domina, *Manfredum* filium successorem habuit posthumum, *Paternionis*, & *Menarum* Comitem, *Regiumque* *Camerarium*. Defecit *Casale* temporis progressu, sed demum fuit anno MCCCXL. instauratum, uti inferius reddam; quumque iterum penè desertum evasisset, sæculo XVII. rursus coaluit. Eius primus Census in *Regiis* libris anno MDCLII. adnotatus lares 73. incolas 293. exhibuit, postremus vero de anno MDCCXIII. focos 266. opidanos 603. qui sunt novissimè 941. Parochia *S. Michaelis Archangeli* nomi-

ni sacra sub Sacerdote Curato binas habet filiales; Ad Randatii Comarchiam spectat, & Tauromentanum Instructorem in militia sequitur; Meffanensi clauditur Diœcesi, Principatus titulo gaudet ab anno mdcix. plenum jus gladii in eo dyabla exercet, qui xii. in Comitibus votum profert, ac Magistratus designat.

Aragonensibus insulam moderantibus *Franciscus Homodeus Malecti* dominus erat, cujus filius *Nicolaus* subinde tenuit; Ejus hinc hæredes sub Friderico II. circa mcccxx. *Malecti*, *Frassini*, *Martini* feuda possidere dicuntur; tunc proin temporis Casale non extabat. Cessit in clientelam *Benedicto de Antiochia Margaritæ Homodei* viro; sed rursus ad *Homodeos* rediit, qui Randatii gentiles quum essent, Joannis Infantis Ducis favore ab Ludovico Rege mcccxliv. in possessione confirmati dicuntur apud *Barberium*. *Simon* postea, & *Guillelmus* ejusdem gentis *Raynaldo*, sive *Arnaldo Spatafora*, auri summa accepta, mcccclxxvi. vendidere. Ejus hinc est in Martini I. Regis Censu de anno mcccviii. clara mentio, & *Arnaldi* insuper uxoris, *Granatæ*, elucet nomen. *Gurretta* horum filius, alio nomine *Gutterres*, Alphonsi Regis decreto congregandi homines facultatem exoravit cum jure gladii. Post *Gutterrem* *Joannes* ejus filius mcccclxxix. sufficitur; Huic *Joannellus* sub ejusdem seculi finem successit, qui *Joanni Michaeli* ex se genito propter nuptias *Malectum* assignavit. Anno mdcix. *Michael Spatafora* hujus nominis ii. Philippi Regis privilegio *Malecti* Princeps est dictus, qui Panormi etiam Prætor fulsit. Ex eo & *Maria Crisaphia Franciscus* prodiit inter xii. Regni viros adscriptus, qui sacris vinculis *Lucretiæ Sanseverino* ligatus, improles tamen

tamen obiit; Unde Rosalia soror obtinuit, *Dominici Spatafore* mater, cui dynastiam reliquit. Fuit hic etiam Venetici Princeps, Alcantaræ Eques, duxitque uxorem Josepham Brancifortiam, quæ illi *Matium* peperit, mcccvii. *Venetici* dominum salutatum, *Victorii Amedei Sabaudia Ducis* Aulicum, a Regiis *Rationibus* Magistrum, ac Regni denique *xii. Virum*. Ejus fuit uxor Anna Maria Caetana, cum qua *Dominicum* genuit Regi hodie a cubiculo, *Catherinae de Moncada* connubio adjunctum, *Rocellæ, & S. Martini* etiam Marchionem. *Malecti* ager ab oleis, moris, vitibus, frugibusque, ac pascuis denique commendatur. Longitudinis gradus est *xxviii. xxx.* latitudinis vero *xxxviii.*

MALPASSUS Opidum sub *Ætna* ad austrum, hodie *Belpassus*, de quo actum.

MALPERTUSUS Fluvius, aliter *Monalis* inter *Finalem, & Cephalædium* in aquilonari littore fauces aperit. Poate transmittitur sub *Pollina* in mediterraneis.

MALPURITUM Flumen, ad cujus fauces navium statio, quæ veteribus *Naulochus*, juxta *Cluverium & Massam*. Carnevalis in *Sicil. Descr.* perperam cum *Nucito* amne *Malpuritum* confundit. Fazellus recentis appellationis dicit; oritur enim in collibus littori impendentibus, ac post *Phalacrium* promontorium, hodie *Raysculmum*, in mare proripitur; ad cujus ostium scopulus subaquaneus latet, nautis formidabilis. De *Statione Naulocho* inferius.

MALVAGNA Opidulum insidet tumulo, qui jugis montium e *Tauromenio* in occasum, sub *Ætnæ* aquilonaribus radicibus protensis, adjungitur, & amœnissimæ convalli dominatur, ubi *Mojus* sedet. Austrum hinc

hinc respicit; ortumque elapsi sæculi initio recognoscit in Moii feudo, quod juris olim Eleonoræ Reginæ fuisse tradunt. Parochialis ædes S. Annæ sacra, Sacerdotis curæ ab Archiepiscopo Messanensi committitur, cum altera minori Ecclesia; adhæret autem illa dynastæ eleganti palatio, cujus opera nuper Minorum, quos Reformatos dicunt, cœnobium coaluit sub S. Joseph titulo. Lares anno MDCLII. primum descripti sunt 93. incolæ 230. sæculi vero hujus anno XIII. focos 182. animas 616. & nuperrime 776. census protulit. Randatii comarchia *Malvagna* comprehenditur, & Principatus honore insignitur ex Philippi IV. rescripto anno MDCXXVII. quem *Franciscus Lancea* cum plena potestate impetravit, & facultate insuper assidendi in Comitibus loco XXVIII. Ex *Francisco* porro & *Cornelia Joenia Petrus* prodiit, unde *Dominica*, quæ thalami socium *Conradum Lanceam Broli Ducem* habuit. His unica filia superfuit *Felix, Ignatio Migliacio* Galitiæ Duci copulata, qui *Malvagne* Princeps idcirco evasit, Proregis vices, ac Panormi Præturam gessit, unusque ex XII. Regni Viris, novo ejusdem censui ineundo fuit deputatus. *Salvator* nihilominus *Felicis* matris cessione MDCCXLIII. Principis tesseram est assècutus, qui nuper e vivis ereptus, *Malvagne* exuvias reliquit. Agri ubertas ex oletis, moris, vineis, pascuisque non incelebris; Situs longitudinis gradum XXXVIII. XL. latitudinis XXXVIII. æquat.

Veteris opidi, hand procul, frequentes adeo reliquias videre est, uti non inanes conjecturas putaverim Scriptorum, qui circa hæc loca aut Tiffam, aut aliam nobis hodie ignotam stetisse civitatem vulgaverunt. Randatium quippe non ongel distitum post Tiffam suffectum Claverius tradit; De Trinacia cogitant

tant Aretius, & Philotheus. Verum hæc alibi, supra Leontinos, atque in alia idcirco insulæ ora congruentius passim creditur constituta, uti de illa loquens in Valle Netina scripsi. Sunt porro ea antiquitatis monumenta, ædificiorum rudera, ac parietinæ longo tractu adhuc extantes; molesque pene integra, *Cuba* apud incolas appellata; cisternæ dissipatæ, sepulchreta, vasa fictilia eleganter elaborata, urnæ plumbeis laminis convestitæ; ut lucernas, phialas, numismata præteream, quæ non vulgaris opidi certa exhibent indicia.

MALVICINUM Turris inter Tauromenii arcem & Molam, Ludovici Aragonensis jussu ædificata, de qua Fazellus *Dec. 1. lib. 2. cap. 3.* & in *Annalibus Dec. 2. lib. 9.*

MANDANICIS Opidum, *Mandanichium* in Rogerii Regis literis, & passim in publicis Regestis. Eripuit Sarracenis Rogerius Comes, ac nobili Monasterio Ordinis S. Basilii sub Deiparæ Annunciatæ titulo decoravit. Munitissimum pagum appellat Pirrus ab urbe Messana pass. m. xxiv. disjunctum, & prope fluminis ejusdem nominis alveum situm. Aretius inter opida enumerat in montium saltibus supra fretum disposita; sed vera inter Messanam, & *Mandanicim* distantia xx. m. non excedit; ab ora autem maritima non nisi iv. numerantur. Jam Comitis diploma, quo fines terrarum ad Coenobium spectantium describuntur, Rogerius Rex suis in literis anno mxcxlv. confirmans, Philadelpho primo Abbati jus omne in opidanos indulgit, exemptosque cum a Diocesano Episcopo, tum ab laicis Messanæ administris eos voluit. Idque Martinus Rex subinde confirmavit: *Nullus enim, ait, præter Abbatem ipsius Monasterii officiales in eo aliquos potest statuere, & ordinare.* Post Monachos,

nachos, qui ad annum mccccxxv. Abbates assumpti sunt, Clericis Sæcularibus Coenobium commendatum, qui alumnis ejusdem ordinis, & Abbati Regulari congruos pro mensa, uti dicunt, proventus solvunt. Ipsi autem in Regni publico Consilio locum tenet xxv. subjectasque Ecclesias S. Nicolai de Celso, & S. Marię de Ballomero cum animarum cura in *Mandanicis flumaria*, recensent.

Jam Opidi majus Templum S. Dominico sacrum, Archipresbytero curante, filiales Ecclesias iv. cognoscit, & de Archimandritę Messanensis Parochia computatur. Lares illi erant sub Carolo V. Cæsare 270. opidani circa sæculi finem 1030. Anno mdclii. in laribus 431. incolæ 1442. computabantur. mdccxiii. foci 330. incolæ 1146. qui novissimè 1009. descripti sunt. Comarchię Tauromenitarę, ejusdemque urbis militari Instructori *Mandanicenses* sese subditos pro fitentur, & agro gaudent vini, ferici, frugum divite, nutriendisque ovinis, ac fuis gregibus ob pingua pasua, & nemora, aptissimo. Gradus longitudinis est xxxix. latitudinis xxxviii. Non hic præteream in Censu Friderici II. de anno mccccxx. circiter, hæc legi: *Berlingherius de Oriolis pro Raccuja, & Casali Mandanichi* 7 40. unde ad nobilem de Orioles gentem *Mandanicis* dominium sæculo xiv. spectasse erueretur. Verum, quum in Abbatis clientela ab Rogerii evo opidum perduraverit, mendum in Regestum irrepsisse dixerim, longe aliunde Raccudia diffidet, & circa aquilonares oras hujus vallis sedet.

Mandanicis fluvius, qui æstare penè aquarum indigus, pluvio tempore collium infusis torrentibus convalescit, post Dionysii amrem in fretum demergitur

MANIACIUM Opidum hodię jacens pass. m. viii. sub

sub Randatio a Bronte iv. circiter distitum, ac ejusdem nominis celebre Monasterium sub Deiparæ titulo, & S. Benedicti Regula, quod Magno nunc Panormitano Xenodochio adnexum, Monachis destituitur Benedictinis, quorum loco apud vicinum Brontis opidum ordinis S. Basilii alumni degunt, *Maniacenses* appellati, quos ejusdem Valetudinarii Rectores, primis deficientibus, in veteri cœnobio constituerunt, unde illi post mdcxciii. Brontem commigrarunt. Primus Opidi author Maniaces Siciliae pro Michaelē Imperatore Præfectus, qui Sarracenos per insulam debacchantes ante Rogerium, non semel protrivit; quumque circa montis *Ætnæ*, ad æstivum occiduum solem declivia, ingentem de illis victoriam retulisset, hujus monumentum, conditum atque ab se denominatum, opidum esse voluit, circa annum dccccxxxii. Id ad Northmannorum usque tempora a Christianis colebatur, qui Rogerii audito adventu, circa viciniora Troy-næ scilicet loca, illi occurrentes, opidum tradidere. Haud procul ab illo, (hodie Casalium appellant), in ortum pass. circiter m. Margarita Regum Guillelmi I. uxor, & posterioris mater, ut suæ erga Deum pietati faceret satis, mclxxiii. majorum exemplo, Cœnobium in Deiparæ honorem suis sumptibus construxit, Guillelmo Blesensi Benedictino Monacho, patria Gallo ad illius regimen assumpto; atque ab Alexandro III. Rom. Pont. & Nicolao Messanensi Archiepiscopo in Abbatiam omnino liberam, insignibusque Pontificiis decoratam erigi curavit. De hoc primo *Maniacensi* Abbate Guillelmo satis Ego in Monasticis Siciliae Notitiis, ubi illum muneri non diu post nuncium remississe, adnotavi.

Quum porro Guillelmus II. Siciliae Rex Margari-
 Tom. III. B ritæ

ritæ filius Montis Regalis insigne Monasterium condidisset, eique hoc nostrum *Maniacense* subjectum voluisset, & mortales complures, nedum in veteri *Maniacii* Casale, & Suburbio, sed vicatim in agris vicinis de *Corvo*, ac de *Rotulo* præsertim convenissent, Theobaldus, primus Monregalensis Abbas, & Episcopus parochialia jura *Maniacensi* Ecclesiæ attribuit; Nicolaus vero Messanæ Archiepiscopus exemptum rursus illud, eique addictas Ecclesias per totam suam Diocesim liberas novo diplomate declaravit. Erat tunc secundus Abbas post Blesensem Timotheus, post quem alii successi sunt, ac inter ipsos Guillelmus effulsit in Siculis Annalibus, Jacobi Aragonensis ævo, notissimus, præque cæteris Nicolaus Tedeschius satis ex nomine celebris, patria Catanensis, Archiepiscopus subinde Panormitanus, & S. R. E. Cardinalis, qui ob hanc dignitatem *Abbas* est denominatus; Ex Commendatariis postremus Rodericus de Borgia, Summus postea Pontifex Alexander VI. qui majoris Valetudinarii Panormitani favore sese Abbatia mccccxi. abdicavit. Hujus idcirco nomine ejusdem Valetudinarii Rectores in Regiis Comitibus loco xv. votum pronunciat, ac Brontis hodie frequentis opidi temporales domini absque gladii potestate quidem, sed cum absoluta Magistratus deligendi copia, dicuntur.

Labefactatum ex terræmotu de anno mdcxiii. quum Cenobium fuisset; Basiliani Monachi cum Abbate Regulari Brontem se recepere; in veteri *Maniacensi* Ecclesia corpus B. Guillelmi nihilominus remansit, quod decentissima arca Rectores memorati anno mdcxlv. asservatum voluere. Ad quod pio cultu venerandum frequentissimus est e circumpositis locis concursus. *Maniacii* ager Brontensibus cessit, de quo

jama

jam diximus. Pons lapideus vetustissimus cum Græca inscriptione in eo, Troynæ fluminis ripas conjungit, quod a *Maniaco*, & Bronte, quia per horum fines prolabitur, appellant.

MARCHIONIS Turris, aliter Finalis, ab hujus nominis statione, quam custodit, appellata. *Marchionis* vero titulum refert, quia ad Hieraciū Marchionis littus, cujus est specula, spectat dominium.

S. MARCUS Opidum, quod veteri Aluntio suffectum complures evincunt lapides a Gualterio in *Siculis Tabulis* adducti, ubi clarissimè Aluntini Municipiū est mentio, uti superius adnotavi. Quamvis enim Aluntium Fazellus, & Cluverius ad S. Philadelphum, in S. Marci occasum statuunt, ex laudatis tamen tabulis inclinatur animus cum Gualterio, in *S. Marco Aluntium* potius recognoscere. Sed de hoc satis dictum. De Agathyro cogitat idem Cluverius, sed supra Orlandi promontorium id stetit opidum jam ostendi. Fazellus, Calactam, ubi nunc *S. Marcus*, stetit opinatur; at enim ejus conjecturas profus deficere, etiam in superioribus indicavi. Aluntii itaque aut alterius vetusti opidi ruinas *S. Marci* inædificatum Castellum ab Roberto Duce Rogerii fratre anno circiter MEXI. ex Malaterra lib: 2. habemus, in colle scilicet contra aquilonarem insulæ oram, post Orlandi promontorium, quod integrum adhuc hodie perseverat, ab dynastis variis temporibus instauratum. Crevit circa arcem justum opidum cum parochiali Ecclesia S. Nicolao Episcopo dicata circa collis latera, & minoribus XII. quas inter præcipuæ S. Mariæ de Araceli, & SS. Salvatoris effulgent, ubi sacris populis administrandis opera navatur. Præest autem omnibus sub Messanensis Pontificis suprema potestate, Archipresbyter,

presbyter, primasque habet in communi Sacerdotum cętu, Divinis officiis, ad præcipui templi cultum celebrandis, incumbentium. De Clero judicat Vicarius.

Surgit in opido Augustiniensium Cœnobium S. Marię de Auxilio nomine, ab anno MDLIV. dynastarum opera constructum; in cujus Ecclesia ex præclarissima Filingeria gente complures jacent elegantibus sarchopagis cum inscriptionibus tumulati. Monialium S. Benedicti instituta sectantium, ab Ecclesia majori haud procul, Parthenon quoque conspicitur non inelegans, S. Theodori titulum referens. Minores Capuccini extra ab anno MDLXXXII. loco amenissimo coaluere, in quorum Ecclesię pariete prope eorum vetus est lapis hæc habens: *D. Sempron. Optato. Sempronio.* Extra etiam ad orientem insigne Sacrarum Virginum claustrum S. Salvatoris, Margaritę Reginę Guillelmi II. matris munificentia constructum, pinguis dote, & Salvatoris opiduli in Pactensi Dięcesi medietate auctum sedet. Regulam S. P. Benedicti illius alumne profitentur, ac Monregalensi Archiepiscopo ejusdem Margaritę præscripto subduntur. Abbatissa præterea uti temporalis domina Salvatoris inter dynastas Siculos computatur. Domus insuper hospitalis intra pomerium ad pauperes infirmę valetudinis, & peregrinos fovendos extat; Circa maritimam denique oram S. Petri de *Deca* olim Monasterium & Prioratus, hodie Abbatia, solo titulo, absque Monachorum collegio viget, cujus electio ad S. Salvatoris spectat Abbatissam.

De præcipuo Opidanorum Patrono lis adhuc sub judice; alii enim ex illis S. Nicolaum, complures vero S. Marcum sibi cooptare contendunt, cujus est Ecclesia vetustissima sub arce, hodie instaurata. Lares medio

dio XVI. sæculo 636. circa ejusdem exitum incolæ 19-
 55. Sequenti, foci 560. animæ 1912. Nostris diebus
 notabiliter imminuti lares 378. incolæ 978. descripti,
 sed novissimè 1693. In Tortoricis Comarchia veni-
 unt, & S. Philadelphi Instructorem in militia sequun-
 tur equites II. pedites XXXVIII. *Ager S. Marci*, verba
 Fazelli sunt, *arvenissimus, domesticarumque omnis ge-
 neris arborum ferax, & aquarum uberrimus*, cujus
 augent felicitatem oleæ, mori, vites, pascua, fruges.
 Fons *Milifica* in eo memoria dignus, minerales cu-
 pri venas immixtas habet, hinc æstare frigidissimus,
 hyeme calidus, potantibus denique insalubris evadit.
 Viro illustrissimo gloriatur *S. Marcus* Scipione Rebiba,
 qui Ciaconio teste Vir doctus, & in rebus Ecclesia-
 sticis versatus, strenuè contra hæreses pugnavit, mo-
 resque corruptos Neapolis, ubi Archiepiscopi vices
 gessit, substulit; Prætor Urbanus Romæ, & Presbyter
 Cardinalis, Sabinensis, & Albanus Episcopus fuit.
 Non negaverim alias Siciliae civitates Scipionem
 sibi vindicare, Platiam scilicet, & Colesanum; at Pir-
 rus, qui vicinis floruit temporibus, e *S. Marco* oriun-
 dum affirmat. Ejus fuere nepotes, fratris filii Prosper
 Constantinopolitanus Patriarcha, & Joannes Domini-
 cus Rebiba Episcopus Catanensis, qui *S. Marcum*
 patriam ambo celebriorem, sive moribus eximiis, sive
 præclaris virtutum exemplis reddidere, de quorum
 etiam natali solo contendunt. In Bibliotheca Paulum
 Salernum Poetam commendat Mongitore. Antonius
 Macri *S. Marci* Historiam composuit, quæ lucem ad-
 huc non vidit.

Sub Northmannis, Suevisque Principibus *S. Marci*
 Castrum Regiis administris, uti reor, paruit; Primus
 enim ejusdem dynasta *Garfias Sancius de Esur* Miles,
 Ara-

Aragonensium ævo memoratur, qui & Militelli, in hac Valle positi opidi dominus quoque erat; quumque ab officiis recessisset, exauthoratus *Sancio de Aragona* locum cessit. Hic Friderico II. ex illegitimo thoro natus; licet ab aliis Petri filius dicatur, ac Friderici frater, Cameratae etiam Comes fuit, unde *Fridericus* prodiit, mcccxxxv. in paternis bonis confirmatus. Ex eo, & Joanna de Auria *Sanciolus* & *Vinciguerra* sub Manfredi Claromontis tutela relictis; Quorum ille Luciae Paliciae vir effectus, Matthiolum genuit sine prole defunctum; *Vinciguerra* vero post fratris filium dynastias assecutus, Friderici III. operam suam probavit, Thermarumque dominus, & Noaræ, Rocellæ, Libritii, Oliverii, & Pactarum fuit, Regni denique Logotheta, & Talassiarcha effulsit. Ejusdem filius *Fridericus*, aliis etiam opidis auctus, Martino Regi insensus, quum evasisset, bonis omnibus privatur, ejus loco *S. Marci* administratio *Abboni Filingerio* est delata, seu restituta, juxta Philad. Mugnos, ait enim hic, sub Conrado, in Siciliam *Riccardum Filingerium* e Galliis adventasse cum patruo, qui Marsici Comes erat, & sub eodem Rege Insulae Prorex res administravit. *Riccardus* itaque minor *Rogerii* Rubei filiam, nomine *Riccum* uxorem duxit, cum dote *S. Marci*, Myrti, Cabuchæ &c. Verum hæc a Mugnos in *Siculis Vesperis* allata, & ab Invegio in *Nobil: Sicil:* exscripta, quo fundamento asserantur, non dispicio; ad *Abbonem* idcirco redeo, qui Cephalædis Praefectus, a Regiis Rationibus, & Consiliis adscitus, eidem Martino Regi perquam acceptus vixit, filiumque *Riccardum* post se reliquit, in censu de anno mcccviii, memoratum; Fuit Messanae Strategus, ac Blancae Reginae operam suam strenue probavit. *Riccardo Franciscus*

siscus, & Joannes nati sunt, dum Catanæ apud Blancam ageret, ejusdem aulicus.

Ille post patrem susceptus est, Joannes militiam sequutus, primis muneribus perfunctus, celeberrimus evasit, eloquentiæ insuper, & poësis studiis insignis. In Cypro enim, & in Armenia contra Turcas duxit, Regibus Lusignanis diu adhæsit, ac sub Eugenio IV. & Nicolao Romæ Senator fuit; de quo in sua Bibliotheca Mongitorius. *S. Marci* primus Comes ibi dicitur; at enim hanc dignitatem *Riccardus* ejus nepos, *Francisci* filius, Alphonsi Regis privilegio, anno MCCCLIII. tulit, qui sub Joannis tutela aliquando vixit. *Petræ* Romæ arcem, *Myrti*, *Capris*, & *Frazani* dynastias etiam tenuit; ac *Franciscum* filium habuit, unde *Hieronymus*, & *Petrus*. Ille a Barono pluribus commendatus, *Franciscum* hujus nominis III. progeniit, ex quo & Castellana uxore *Hieronymus* II. MDXLIII. inauguratus. Hic immaturo cessit fato; *Octavius* idcirco *Lancea* a *Francisco* vocatus *S. Marci* Comes subrogari contendit. At *Petrus Hieronymi* senioris frater adhuc superstes sese opposuit; quumque judicium diu protraheretur *Hieronymus*, *Petri* filius *Caprim*, & *Frazanum* *Octavio* cessit, ipse in *S. Marci* possessionem induci postulavit, & obtinuit MDLXXII. Uxor illi fuit *Margarita Lancea*, *Octavii* soror; hinc sine prole *Octavio* decedente, dotis jure, opida quoque illa sibi adjunxit. Ex his *Petrus* prodiit, qui plenam in suæ ditionis terris potestatem, seu *merum & mixtum imperium* ab Rege impetravit, compluresque alias dynastias acquisivit, demumque apud *S. Marcum* vivis abiit. Ex eo & *Francisca* de *Spucches* *Castaniæ* domina *Vincentius*, qui thalami sociam *Joannam Lanceam* sibi adscivit, unde posthumus filius *Vincentius* primus

primus Myrthi Princeps MDCXLIII. renunciatus. Militaris hic gloriæ cupidus, & regiminis artibus imbutus, Generalis exercitus Instructor, Syracusarum Præfectus, ac bello a Gallis ingruente Proregis Vicarius; pluries insuper ex Regni XII. Viris, tertium Panormi Prætor emicuit. Filio cum Laurea de Neapoli uxore auctus fuit *Antonio*, qui & ipse patriæ Præturam gessit, ac Joannæ Vigintimilliæ adjunctus prole virili caruit. *Joseph* hinc ejus frater MDCXCIX. suffectus est, vir longo rerum usu, animi magnitudine, morumque gravitate percelebris, iterum Panormi Prætor, nec semel Regni Curatoribus accensus. Contractis cum Catharina Cottonia nuptiis *Vincentium* heredem est assequutus, qui Regi a cubiculo Angelam de Neapoli conjugem nactus, *Josephi Antonii* pater vivit hodie, moribus, consilio suis non impar. *S. Marci* longitudo grad: xxxviii. xx. latitudo xxxviii. x. computatur.

MARESCOTTUS Furiani amnis Fons in collibus inter Troynam & S. Philadelphum prominentibus, quos Ereos esse tradit Fazellus, sive uti ipse vocat Aerios.

S. MARGARITA Cafale, aliter S. Stephanus Medius, inter superiorem scilicet, & inferiorem situm. de quibus suo loco. Pareciam eidem Virg. & Mart. sacram, minoresque Ecclesias IV. ostentat. Messanensibus accensetur municipiis, olimque dynastis parebat, qui Principatus titulo illud decoratum voluere ab anno MCCCIX. Lares 63. computantur, incolæ 245. Primus *S. Margaritæ* Princeps *Joannes Palermo*, cui tres filii superstites. *Franciscus* MCCCXV. sine prole defunctus, *Thomas* ex Flavia Gregorio filiis auctus, Panormi e vivis sublatus, & *Joseph Marchio*. Opiduli regimen ad Senatum spectat Messanensem.

S. MA-

S. MARIA de Jesu Suburbium Messanense ad occidentem solem æstivum, in S. Michaelis *flumaria*, ab antiquo Minoritarum Fratrum de Observantia Conventu appellatum, ad II. ab urbe lapidem. Sunt in ejusdem Cœnobii Ecclesia elegantissimi e marmore Ligustico sarcophagi, quos Messanensium rerum Scriptores describunt.

S. MARIA DE SCALA Suburbium ad occidentem æstatis solstitium, a Messana III. pass. M. distitum. Nomen illi ab celebri ac vetusto Regiæ foundationis Sanctimonialium Monasterio, ad collis S. Ricci radices, obvenit, quod pene integrum perseverat; Alumnae enim in urbem se recepere MCCCXLVII.

S. MARINA, Vicus est hodie opidi *Castania*, quod olim, uti alibi expendi, tribus conflabatur *castralibus*, *Randaculo* scilicet, *S. Marina*, & *Castania*; hoc vero uti præcipuum, aliis vocabulum mutuavit. Tulit porro *S. Marina* Marchi onatus tesseram anno MDCCXLVIII. Philippi IV. rescripto, primusque honorem *Josephus Sollima* sibi comparavit, cui *Joannes* frater successit, eoque sine filiis etiam decedente *Francisco* soror obtinuit, ac in conjugem *Alexandrum Galletti* transfudit. Ex his *Joannes Petrus*, unde *Joannes Alexander* jure uxoris Melchioræ Corvinæ Roccæ Columbæ etiam Princeps. Vivit hodie illorum hæres, ac filius *Joannes Petrus II.* Annæ Mariæ Spataforæ sacris vinculis adjunctus, ac prole dives.

MARO Mons, Plinio, *Madonia* Siculis, *Nbrodes* aliis Scriptoribus vetustis, de quo inferius.

MARIAZI Caput post Pitinei fluvium, cum turri specula, a palude proxima nomen habens.

MARTINI Opidulum in Messanensi Diœcesi, & Tortoricis Comarchia, sub Pactarum Instructore.

Maarchionatus denique titulo illustre, & votum in Comitibus xxxiv. dynastis suis concilians, supra Sinagram sedet, ad Nasū fluminis, sive Thymeti dexteram ripam, in opposito collis declivi ad aquilonem. Parochia sub Sacerdotis cura alteram habet Ecclesiam suffraganeam. Tertia sub Deiparæ Assumptæ titulo Basilianis Monachis subditur. Census larium sæculi xvi. medio 64. fuit, opidanorum, ejusdem anno xc. 267. In altero de anno mdccl. lares 109. incolæ 405. numerati. Novissime 479. in 104. pene focis computantur. Habet latitudinis gradus xxxviii. xii. longitudinis xxxviii. xxxv. Agro fruitur oletis, vineis, moris, aliisque fructiferis arboribus confato, frugibus, pascuis, oleribus non ingrato. Ejus extat memoria ab anno mxxxii. *Riccardus* enim *Rubeus* tunc illi dominabatur. Aragonensium ævo *Nicolai de Homodeo* hæredibus obnoxium dicitur in *Friderici II. Regesto*, cum *Malesto*, & *Fraxino*. *Adamucius Scorciovachus* *Friderici III.* beneficio obtinuit, ob cujus a *Martino Rege* descitionem *Galeotto Spatafore* concessum opidum *Barberius* affirmat sæculo xiv. exeunte, post quem *Thomas* ejus consanguineus suffectus dicitur. Hic *Berengario de Orioles* mcccv. vendidit, in *Regis Martini* ejusdem censu post quadriennium memorato, *Racudixæ* simul, & *S. Petri* domino, unde *Manfredus* filius, qui sub *Alphonso* floruit. Ab ejus manibus *Antonius Spatafore Thomæ* filius revocavit, quem *Joanna* hæres excepit, *Bernardi Bardassi* *Acis Castell* *Præfecti* conjux. Ex his *Antonius* celeberrimi *Galeotti Bardassi* pater, a cujus morte mcccxciv. hic dynastiam est assecutus.

Catanæ Galeottus natalem sortitus, & supra communem usum proceram staturam, viresque respondentes,

spondentes, ac animi præterea fortitudinem nactus, sui ævi miraculum evasit. Fazellus, Surita, Piccolominius, Carusus, & novissimè Mongitore *De Sicilia Admirab:* tom: 1. lib: 1. cap: 29. illum celebrant, ex quibus Ego *Catan: Ill:* lib: 12. & Emmanuel *Sicil: Nob:* lib: 3. non pauca relatu digna prompsimus. Ex *Galeotto, Bernardus*, qui Scordiam inferiorem ex dote est affectus, unde *Alphonsus*, cui *Joannes* successit anno MDEVI. postremus ejusdem gentis dynasta. Exinde enim *Thomas Campulus* Scordiaz, & *Martinorum* dominus eiucet, *Francisco* filio auctus, quem *Josepha* exceperit, *Antonia Brancifortio* uxor assignata. Primus hic Scordiaz Princeps, & *Martinorum* Marchio, Philippi IV. privilegio MDCXLV. *Herculem* ex eadem *Josepha* tulit, uti de Scordia loquens tradidi, ejusque successores laudavi.

S. MARTINUS Opidulum Marchionatus titulo ab anno MDCXXII. Philippi IV. privilegio insigne. Feudum *S. Martini* casalibus v. constabatur, quorum habentur vocabula in Friderici II. Regesto: *S. Anna* scilicet, *Grippanis*, *Risculis*, *Parinisis*, & *Floccaris*; quæ ad *Franciscum Romeum* Messanensem spectabant. Huic *Raymundus* filius successit sub Ludovico Rege, qui ab eo deficiens bonis privatur. *Ansalonius de stia Familia* Francisci Romei meminit, qui ad Regem Martinum, ejusque uxorem Mariam patriæ Legatum egit, ac *S. Martini* dominum illum evulgat. At enim in Regiis libris *Raymundi* descitio longe ante Martini ætatem reponitur, ac sub hasta venditum Feudum *Francisco Spina* Legum professori legitur; hinc in ejusdem Principis Censu de anno MCCCVII. *Constantia Spina* Francisci filia, & hæres memoratur, quæ *Raynaldi de Lonca* uxor, huic *Fran-*

ciscum peperit, unde *Raynaldus* II. Ab eo, anno MCCCLIX. scutatis DL. *Fridericus Spatafora*, Ximenio de Urrea Prorege confirmante, *S. Martinum* emit. *Fridericus Conrado* primogenito propter nuptias assignavit, eoque sine prole decedente, alteri filio *Francisco* MDIX. reliquit. Habuit hic thalami sociam *Melchioram* de *Moncada*, cum qua *Petrum* procreavit; *Petrus* cum *Laura Spatafora Friderici* pater effectus est; ex eoque, & *Beatrice Brancifortia* *Josephus* prodiit, primus *S. Martini* Marchio, Venetici dynasta, qui mortalibus circa sæculi elapsi initia noviter congregatis, omnimodam potestatem a Rege obtinuit, & in Regni Consilio locum xxxv. occupavit.

Primus hinc opiduli Censuræ ejusdem sæculi medio initus focus 29. incolas 79. protulit, qui MDCCXIII. computati sunt 107. in laribus 93. & novissimè 364. animas descriptas comperio. Mylarum Comarchia comprehenditur, ac in ejus ditionis finibus sedet *S. Martinus*, & cum Venetico sub Militari Pactensi Instructore venit; ab illo enim opido, & ab *Rocca* in septentriones haud procul distat. Parochialis Ecclesia *S. Episcopo* cognomine dicata assurgit, sub Sacerdotis cura, & *Messanen* Archiepiscopi inspectione. Longitudinis gradum xxxix. x. habere dicitur, latitudinis verò xxxviii. xv.

MASCALÆ Civitas, plurium numero, quod varia illi sint municipia. Vetus olim *Callipolis* ab Grecis condita, uti conjecturis haud omnino inanibus innixus, jam supra ostendi; sed ex *Cluverio* post antiquissimum quoque opidum *Ætnam* suffecta; in montis *Ætnensis* declivia ad ortum hibernum sedet, II. pass. x. circiter a littore distata, quod ab illo nomen mutuatur, & *Mascalensis* ora passim dicitur. Turres

VII. circa ejus ambitum videbantur; quarum duæ perseverant, aliæ ex vestigiis cognoscuntur. Princeps sacra ædes S. Leonardi Episcopi nomine, a quo opidum nuncupatur, Collegio ab an: MDCCLIII. instruitur, cum Dignitatibus IV. uti vocant, primariis Canonicis VIII. & Mansionariis VI. Archipresbyteri curæ a Pontifice Messanenfi committitur, qui & opidi Vicarium eundem designat. Altera Parochia S. Mariæ de Odigitria, minoresque Ecclesiæ V. cum laicorum sodalitiis præterea spectantur; quas inter memoratu dignæ S. Maria Angelorum vetustissima, major olim opidi basilica, & S. Mariæ Annunciata, Prioratus insignibus decorata. Subsunt insuper Archipresbytero Municipiorum Ecclesiæ, ubi sacris administrandis opera navatur, apud *Giarras* nempe S. Isidori; *Macchia* Deiparæ de Providentia, in S. Joanne ejusdem nominis ædes; *Dagala* Conceptionis, *Mili* S. Andreæ, in *Repositoryo* S. Mariæ de Epistola, & in Regia demum via Deiparæ de *Strata*, prope quam vetus puteus profundissimus ostenditur, Northmannorum ævo, uti tradunt apertus. De nonnullis hisce municipiis jam egi, quæ remanent, suo ordine infra explicantur. Uti porro illorum in rebus sacris inspectio Archipresbytero conceditur, sic de civilibus ad opidi Magistratum cura pertinent. Hunc Catanensis Episcopus in singulos annos ex parte designat, ex parte Regni Logotheta.

Rogérius enim Rex, Patris pietatem imitatus, qui Catanensi Ecclesiæ Pastorem post Sarracenos primum constituens, amplissimis bonis, ac pingui dote illam donaverat, Acinque, & Flumen Frigidum attribuerat, *Masclorum* opidum inter utrumque situm, ac late patentem ejus ditionem anno MCCCXIV. addidit.

dit. *Anfgerii* successores, (sunt hic primus Catanensis Episcopus, & *Masfalarum* dominus) Actum & Flumen Frigidum subinde Siculis dynastis concessere; *Masfalarum* vero retinentes, illarum passim Comites sunt appellati; Pirrus hinc de Nicolao Caracciolo, qui eandem cathedram, Carolo V. Regni potente, moderabatur, loquens, hunc Imperatori apprimè gratum dicit, ab eoque literas Moguntiae xi. Augusti MDXLIII. impetrasse, quibus illi, dum Episcopum ageret Catanensem, merum, & mixtum, uti vocant, imperium in suæ jurisdictionis opidibus datum est. Et tunc, subdit, videtur orta ea appellatio, ut diceretur Comes *Masfalarum*. Plena hæc gladii potestas hodie penes Regios Consulares residet; Episcopo decimas pendunt de singulis terræ fructibus opidani; quorum census MDCLII. primus in Regiis libris apparet, protulitque numerum 932. in lazibus 227. sed hujus sæculi anno XIII. computati sunt foci 853. animæ 3537. novissimè vero 1930. Ceterum descriptionem de anno MDCLXII. folius opidii, absque municipiis fuisse factam, uti & ultimam, non inani conjectura subdubito; Cultores enim circumjacentium terrarum innumeros habet; quum sint illæ præ cæteris totius regionis feracissimæ.

Ager siquidem *Masfalensis* vites fert in tam ingenti copia, adeoque uberes, uti nedum proximis, & vicinis Catanæ, & Messanæ, sed Melitæ, aliisque remotis vina suppeditent; ac naves idcirco onerarias, toto pene anno e *Masfalensi* littore solventes, in varias Europæ regiones vina asportantes videamus. Hordeum præterea, oryza, aliaque legumina abundè satis in ea proveniunt. Castaneta densissima, Quercus, Ilices, Mori, pomiferæ arbores, cujusque generis fructus affatim præbentes, multa exuberant opulentia;

pascua

pascua lætissima, ac pingua greges omnis speciei nutriunt, saltus largæ venationi inserviunt, feris licet, lupisque infesti audiant, nec lacubus caret planis in locis, oræque maritimæ conterminis, ubi idcirco aer insaluber æstate evadit; nec denique ad vitæ aut commodæ, aut necessitates, sive ad delicias, quidquam in illo deest. Regium insigne *Mascale* in scuto præferunt, & Acis Comarchiæ pars dicuntur; gradum longitudinis xxxviii. xv. latitudinis xxxvii. xl. habent.

MASCALUCIA Opidum, aliter *S. Lucia*, & *Mascalcia*, ex municipiis dudum Catanæ Urbis; post annum mdccli. Ducatus titulo auctum, plano insidet solo supra Catanam, in montis *Ætnæ* decliviis, ad solis æstivum occasum, pass. m. viii. circiter distitum. Ejus est parochialis Ecclesia pene in centro, *Deiparæ de Consolatione* sacra. Una ex suffraganeis *S. Antonio Abbati* dicata, vetustatem præfert, atque olim *Casalis* fuisse Parochiam dicitur, quod ædificia, porta nempe *Dorico* ornatu insignis, ac muri substructio paupum hodie e solo extantis, nigris, quadratis lapidibus compacti, quo antiquissimo more, ac ritu, Ecclesia dividitur; quatenus pars antica viris, postica foeminis excipiendis deserviret, satis patenter demonstrant. In eam e proximis vicis *Tremisterio*, *Plachi*, *Galermo*, aliisque, ad m. circiter pass. disjunctis, convenisse mortales tradunt, ad sacra percipienda, antequam illorum quilibet suam Parochiam haberet. Emit a Regiis Consularibus una cum aliis Casalibus *Johannes Andreas Massa* mdcxlv. qui mox *Nicolao Placido Brancifortio* Leonfortis Principi dono dedit. Hic *Philippi IV.* Regis privilegio *S. Luciae*, seu *Mascaluciae* Dux subinde appellatus, *Francisco* cum *Catharina Brancifortia* secundo loco genito titulum reliquit. Fuit

S. Ja-

S. Jacobi Eques, iterum Panormi Prætor, bellicque tempore, cum Gallis in Sicilia gesti, patrię, ac toti Regno præclarè consuluit. *Nicolaum Placidum* II. ex Catharina Carretto filium habuit, qui Buteræ Princeps evasit. De eo alibi. Primus opidi Censur mdcclii. lares 404. incolas 1413. protulit; alter hujus sæculi anno xiii. lares 424. opidanos 1570, & novissimus 2376.

Dioecesi, & Comarchia Catanensi *Mascalucia* clauditur; Episcopi Vicarius clero jura dat; Magistratus, Dynastę arbitrio, annuus civilibus rebus præest. Habet ille plenariam gladii potestatem, & in Regni Comitibus loco xvii. fedet. Ad opidi septentrionalem plagam, iv. circiter lapide, regione de Umbra appellata, Turris non exiguę rudera spectantur, a *Portuso* colonis dicta, cum ingenti cisterna, a qua haud procul veteris habitatiōnis dispersa monumenta, majori ex parte Ætne incensii molibus obruta. Circa, e crassis lateribus sepulchra, quorum aliquot clausa coctilibus etiam magnis laminibus, & in iis numismata, lucernę, vasculi, ac mortalium cineres inventę; quę quidem Catanense ibi vetus municipium stetit arguunt. Sunt qui *Massam Luciam* nomen opido fuisse affirmant. Massas porro in Catanę territorio S. Gregorius in Epistolis memorat. De *Trapeas*, & de *Capris* ad Romanam Ecclesiam spectantes. Massę ævo medio dicebantur amplissimi terrarum tractus, in quibus coloni agro excolendo, cum familiis vivebant, unde hodie Siculis *Massaria*.

MASSA ANNUNCIATA Opidulam ad Ætne radices, supra Catanam, ab Ecclesia parochiali, & a *Massensi* Duce ejusdem domino nomen habuit; quod Monpilerio, ab incendio de anno mdcclxix. consumpto, obrutoque successit. Sunt ejus lares 108. incolę 459. Sedet in æquo solo. Vide *Monpileris*. MAS-

MASSÆ Messanæ Urbis municipia ad oram septentrionalem, in montibus Peloritans, quæ Tyrrenum mare respiciunt, quæ in varios discernuntur vicos, Messanâ vii. pass. m. diffitos, inter sese v. circiter, a tutelaribus sacrarum ædium Divis appellatos: *S. Georgii* scilicet, *S. Joannis*, *S. Michaelis*, *S. Lucia*, & *S. Nicolai*. Ex his præcipuus *S. Georgius* computatur, lares enim enumerat 203. opidanos 721. Sunt in *S. Joanne* lares 55. incolæ 205, in *S. Michaelis* foci 26. incolæ 195. *S. Lucia* focos 83. animas 266. *S. Nicolaus* denique lares 77. incolas 182. in censu profert novissimo. Habuit a Regia Curia Dux Furnaris post annum MDCLXXII. at rursus, ut Messanensis Senatus fasces cognoscerent, Caroli VI. Cæsaris decreto sanctum est. In *S. Georgii* Basilienses Monachi sub *S. Mariæ de Austro* olim nomine Cœnobium incolunt, quod *Nicolaus Grafficus*, fundatum anno MXCIX. voluit; Rex vero *Rogerus*, ut Archimandritæ *S. Salvatoris* subjectum esset, ab *Hugone Messanensi Archiepiscopo* MXXXI. impetravit, quod *Alexander III.* & *Honorius III.* Romani Pontif. confirmarunt. *Carolus* denique V. Cæsar ut eidem *S. Salvatoris* Monasterio uniretur, quod extra mœnia ædificabatur, MXXXVIII. *Pauli III.* Rom: Pont: decreto impetravit. *S. Mariæ de Massa* primus Abbas *Nicodemus*, religione, & sanctimonia illustris. Hodie Claustralis Abbas cum suis in illo Divinis intendit officiis. *Bonifilius* male Monasterii ortum *Rogero Comiti* adscribit, uti *Pirrus* demonstrat.

MATAGRYPHONIS Arx Messanensis. Vide *Guelphonia*.

MAUCERIS Vicus ad Acim *S. Antonium* spectat, cum sacra æde *Virgini Deiparæ* sacra, occur-
Tom. III. P. II. D ritque

ritque in via, ab eodem S. Antonii opido ad Vallem Viridem ducente.

MAUROJANNIS Opidulum. Vide *Valdina*.

S. MAURUS Opidum ex Hieracensi Comitatu, in montis clivo ad aquilonem hodie; retroactis vero temporibus circa ortum, & meridiem; ibi enim sub arce, quæ supremum occupat verticem, vetustissimæ habitationis complura visuntur vestigia, & *Calactæ* ab incolis perperam creduntur monumenta, quam alibi sitam ad maris littus vidimus. Traditio præterea apud eosdem viget, Ecclesiam S. Mariæ de *Tracchis* in occasum ad m. circiter pass. omnimodam antiquitatem præferentem, S. Gregorii ævo extitisse; Opidumque idcirco Christiana etiam ætate effloruisse. Monasterium denique sub S. Benedicti regula in loco constitutum affirmant, ab cujus Monachis S. Mauri particulam Cranii obtinuerunt; In Patronum hinc Divum adscitum, Opido nomen fecisse substinent. An alio porro vocabulo sub Sarracenis donaretur, fatis non liquet; In Messanensis Diœcesis censu sub Northmannis ejus nulla extat mentio; Sub Aragonensibus inter Hieracensium Comitum dynastias recensebatur; In Martini Regesto *Joanni Vigintimillio* obnoxium cum aliis dicitur. Sub Caroli V. Cæsaris imperio lares 836. incolas paullo post 1995. numeravit, qui sequenti sæculo descripti sunt 2836. in laribus 720. Nuperrime vero ad 3011. computantur, laresque 806. Qua ex frequentia datur colligere vetustæ fundationis opidum esse, & Northmannorum saltem ævo coaluisse.

Sub arce hinc, de qua dixi, majus templum S. Georgio, Northmannorum præcipuo Patrono sacrum se offert, non inelegans hodie, & fatis amplum; Circa
infe-

inferiores vero plagas S. Maria de Franchis, unde Sacramenta cives etiam percipiunt, subrigitur; ipsoque vocabulo antiquitatem præfert. Nec minorem redolet S. Mauri Ecclesia, uti expressæ in ære campano annorum notæ declarant. Est hæc una ex VIII. filialibus, uti vocant, omnesque Archipresbytero subduntur; qui in communi Sacerdotum collegio Divina obeuntium officia, primatum tenet. Scholarum, quas Pias dicunt, institutum in S. Salvatoris ædem ab anno MDCLXXX. Vincentius Græcus induxit, suorumque bonorum ex asse hæredes ejusdem alumnos voluit, ac pene in opido medio illis domum, & ad juventutem literis imbuendam aulas fundavit. Sanctimonialium denique cenobium sub S. Dominici regula, Deiparæ de Catena adhæret Ecclesiæ. De Vincentio porro, qui patrium opidum illustravit, opportune subdam, illum doctrina, & meritis cumulatum vixisse, hisque adjuvantibus Cephalædensis Ecclesiæ Decaniam, ac S. Mariæ de Gibilmanna Prioratum obtinuisse; Romæ vero, ubi diu deguit, in S. Mariæ Majoris basilica Beneficariis accensum. Diœcesi Messanenſi, Comarchia Cephalædii, & S. Philadelphi militari Præfectura S. Maurus concluditur. Ejus est longitudinis gradus XXXVII. LV. idemque pene latitudinis. Clero Archiepiscopi præest Vicarius; Dynasta jus gladii habens, votum inter Barones Comitiorum tempore profert XLVII. qui uti innui Hieracensis est Marchio. De Agro vide *Hieracis*.

MAZARRA' Opidulum in Castri Regalis agro, & Mylarum planitie, Principatus titulo hodie clarum, recentis est foundationis; Descriptum enim in Regiis libris nonnisi decurrentis sæculi anno XIII. deprehenditur, quamvis sub Cæsare Carolo V. MDVII. indulgita

fuerit dynastis facultas, homines congregandi; qui tamen in justum casale post elapsi sæculi medium coaluere. Parochia sub Sacerdote Curato, alteri Ecclesiæ jura dat. Exhibet in suo *Capibrevio* Lucas Barbera *Mazarrà* dominos ab *Joanne Jardino*, cui filius *Henricus* successit; unde *Aldoinus de Aldino* consanguineus. Ex hujus fratris filio *Gerardo* habuit ex testamento *Conradus Spatafora*, qui Regi præterea pretium solvit. Inter *Conradi* hæredes *Petrus Spatafora* Princeps MDCLIII. renunciatus, ex Venetici dominis, thalamum cum *Lucretia Vigintimillia* ascendit, ac *Fridericum* procreavit, *Spataforæ* etiam primum Ducem, a Regiis subinde rationibus, & *Eleonoræ Rigoles* virum. Prodiit ex his *Onaphrius* vir undique conspicuus, quem soror excepit *Anna*. Hæc titulum vendidit *Ignatio Migliacio*, & opidi dominium *Malecti* Principes sunt assecuti. Census fuit larium 72. incolarum 192. sed novissimè 510. inventi. Subjacet *Mylensi Comarchiæ*, & *Messanæ Archiepiscopo*; gladii potestate fruitur. Ager, uti fert Regio, moris profusè confitus, vineis, fructiferisque arboribus atque oleis instructus, a fertilitate commendatur.

MELAS Fluvius, *Facellinus* a proximo *Dianæ* ejusdem nominis fano etiam appellatus. Ex *Cluverio*: *Nullus alius esse deprehenditur, quam qui accolis hodie vulgari vocabulo dicitur Nucito*. At ex *Philippo Amico* in *his. Myl.* idem ac *S. Luciæ* Fluvius, quem supra descripsi, esse *Melas* creditur. Nomen ab aquarum nigredine, quam adhuc habet, juxta *Fazellum* contraxit. De *Nucito* alibi.

MELIA, Vicus *Moniuffi* opiduli, olim ad *Tauromenium* spectans, subinde *Josepho Barile* a Regiis Ministris venditus. Vide *Moniuffi*. ME-

MELINGUNIS Insula Liparitana, ita veteribus appellata. Vide *Lipara*.

MESSANA Urbs *Nobilis*, ex primariis inter Siculas, ac secunda Regni Soror passim appellata, post Pelori cuspidem, vulgo Promontorium XII. pass. m. sinuoso in littore ad ortum sedet; Rhegio Calabrię civitati opposita, angustoque ab Italia freto disjuncta, ad longitudinis grad: XXXIX. VII. latitudinis XXXVIII. X. Imminet illi ingens ad occasum montium jugum, a Tauromenitana regione ad mare usque Tuscum sese extendens, cui nomen Pelorus, unde subjectum littus, ora Peloritana dicitur antiquis. Hęc ubi incurvatur portum efficit celeberrimum, paucisque toto terrarum orbe secundum, qui extento veluti brachio a ventis omnino immotum conclusum mare reddit, enormique profunditate, & amplitudine integras classes in tuto excipiens, navibus securum aperit perfugium. Extremum brachii a S. Raynerio appellati, dudum S. Salvatoris Basiliense Cenobium, Archimandritę sedes, Rogerii Regis munificentia extractum, bonisque, ac privilegiis auctum, occupabat. Caroli vero Cęsaris jussu, hujus nominis v. validissimum propugnaculum ad portus os tuendum instruit. In ejusdem brachii extimo angulo in ortum, & meridiem, Pharus turris, vulgi voce Laterna, moles undique spectanda, subrigitur, e cujus vertice accenso igne, noctu portus nautis indicatur. Pentagonę figurę *Citadella*, seu Arx major succedit, aquis undique circumflua, an: MDCLXXIX. Carolo II. Rege, ingenti profusa auri vi, qua jactis in pelagi profundum substructionibus, qua in littore positis ædificiis, fossisque excavatis, constructa, & ad recentis militaris architectonicę leges, validis quaquam versum munimentis, prætentis pro-

propugnaculis, & pontibus ante portas firmata. Ab hac autem ad turrim Pharam circa austrum via cooperta interponitur, muro, & aggere instructa. Interior quoque sinus Lemocomium habet. Est id ingens in mari posita scilicet moles, longo, angusto ponte littori conjuncta, ubi merces suspicione luis laborantes purgantur, navesque onerariæ suspectæ etiam detinentur. Jam contra arcem, ejusque portam in mediterraneis ingens area sternitur, ubi dudum *Terranova* urbis regio cum Parochia surgebat; Propugnaculum S. Georgii haud procul, in hac plaga insuper disjectum; quod esset Arci obnoxium, sed murus, ut contra flantes austros naves in portu secure consistant, ad oram *Maris Grossi*, uti appellant, ducitur, a Blasco vocatus.

Liberi Portus Horrea, ubi vetusta ætate Navale erat, *Darsana*, vulgi voce, prope littus assurgunt, & Regio novissimè instaurata; quibus Militum Stativa haud procul ad austrum respondent. Regium subinde Palatium ad omnimodam magnificentiam constitutum, hodie nonnisi ex iv. partibus unam ostentans, descriptam excipit aream, cui altera, sed longe minoris ambitus in occasum respondet, Joannis Austriaci, classis contra Othomanos fœderatæ supremi Imperatoris, æneo simulacro in centro ornata, & clatris lapideis, quæ mare prospicit, clausa. Hinc Theatrum, sive urbis frons portus littori incumbit, Philiberti Sabaudiæ Principis, pro Philippo Rege insulam moderantis auspiciis, xxii. elapsi sæculi an: e fundamentis extructa. Ad m. circiter pass. equali symmetria, singularique elegantia illa producitur, adeo ut neque excellentius totam Europam, nec par opus suspicias. Portas exhibet xviii. totidem urbanis viis oppositas; viamque amplissimam ad civium ultro, citro-

citroque deambulantium commodum substratam habet, in qua contra Civilis Consilii amplam basilicam Neptuni statua cum Scyllæ, & Charybdis egregie elaboratis signis spectatur. Hujus porro basilicę externa facies, supra cęteras, tota e marmore eximię expolita conspicitur; aulę supremę sat laxę urbanis conventibus, & Senatus consultis celebrandis; inferiores Consulum Maris, aliisque publicis, ac forensibus comitiis deputantur.

Ubi Theatrum absolvitur ad ortivum, & septentrionalem angulum Portus Salvi propugnaculum sese attollit, cui Regalis porta adjungitur maritima; paullo vero supra altera ejusdem nominis cum ponte occurrit, & situ elatiori Andrię firmissimum propugnaculum, aquilonarem, & occiduum urbis angulum definiens sedet. Porta hinc a proximo suburbio *Bozzetta*. Matagryphonis insigne, ac vetus castellum in tumulo, quod supra jam descripsi; Turris Victoria; Porta Lignorum ad cognomine ducens suburbium; Tironis denique prominens munimentum, occidentale latus componunt; sed extra in collibus *Gonsaga* arx, & Castellacium imminent, quibus & urbis & portus securitas firmatur. Sub Tirone *Porta Imperialis* in austrum a Carolo V. nuncupata, & alia mox succedit, quam aliquando occlusam Laviefuilleus Prorex referendam jussit, suumque ei nomen imposuit. Qua quidem plaga IV. alia videntur propugnacula: Imperiale scilicet, S. Bartholomęi, S. Clarę, & Blasci, quod IV. angulum orientalem austrinum constituit; *Messana* enim schema quoddam veluti quadrum oblongum imitatur. Jam præter *Bozzettam*, & *Lignorum* suburbia, ad æstivum occiduum solstitium illud de S. Leone, vulgi voce *Saddeo*, frequentissimum; ad aquilonem illud de
Ringo

Ringo, ac denique in austrum *Ciera*, quæ urbis regio non injuria dicitur, & supra descripta exhibetur. Mitto hic Dromi ad meridiem, & alia ad aquilonem suburbia suis locis indicata; atque ad internum ordinem breviter delineandum progredior.

A meridie in aquilonem una protenditur perpetua via in duas discernens partes *Messanam*, Portis Imperiali, & Regali utrinque terminata, utrinque forum late patens a majori Valetudinario & a S. Joanne appellatum habens, in quo postremo ingens fontis labrum videtur. Tertium eadem media pene via sternitur forum, ante majorem basilicam, cum fonte Ligustici marmoris ad artis miraculum elaborato, & Caroli II. Regis equestri ex ære statua magnificentissimo stylobati imposita. Ex hoc porro ad Regium Palatium amplissima, & recta panditur semita, quam *Novam* appellant, in quam alia non absimilis incurrit de *Cardenas* dicta, a Triumphali porta, hodie Lavie-
suilla, ad alteram in Theatro portui respondentem de *Messana*, & olim a Nativitate vocatam. Novam hanc stratam Archiepiscopales ædes longo, & insigni ordine extensæ exornant; ubi autem ad angulos iv. cum altera de *Cardenas* ea conjungitur, elegantissimi e marmore fontes se offerant. Nec caret illa publico monumento; Officinam quippe Monetariam ostentat, quæ egregio principio superbiens, supremam expectat manum. Absolvi insuper publicæ Academiæ ædificium in Valetudinarii area ad occidentem, expectat; siluit enim illa, aulæque inferiores integræ vix hodie perseverant. Communis annonæ horrea, nuper reparata omnino spectanda; sed opus Bibliothecæ, civium omnium commodo, paucis ab hinc institutum inspectionem meretur. Dudum quippe Jacobus Longo,
Con-

Concistorii Præses, non vulgarem librorum copiam Patriæ legavit; Quos in aula ad id interea deputata sub Josephi Vincii Protopapæ, eruditissimi viri, cura locatos vidi; Hodie laxiori opportuno loco, ad vetus Civici Senatus palatium, ædibus magnificentissimis constructis, opportune repositos inaudio. Ibidem Regiæ Audientiæ Curia, sive Supremus Legalis Magistratus late patentibus utitur aulis. Mercatorum denique Emporium non omittendum post Theatrum, cujus sunt porticus amplissimæ, Eustachii Laviefeuille Proregis, urbis instauratoris, ex dimidio anaglypho marmoreo simulacro, elapsis proximè annis excultæ. Publicis hisce fabricis, splendido ornatu concinnæ, privatæ accedunt civium cujusque ordinis domus, undique per urbem, cum veteris schematis, tum noviter extractæ; ut non injuria *Messanam* præclarissimis Europæ civitatibus Scriptores accenseant, advenæque, ac convenæ ex cunctis terræ partibus comportandarum mercium occasione, eam numquam satis demerentur,

Age jam ad Sacra ædificia descendat oratio. Princeps Basilica Deiparæ in cœlum Assuptæ sacra, antiquæ, uti perhibent foundationis, absides habet musivo opere, auro intermixto, æque nitidas, ac insignes; Navem Ægyptiis columnis, e veterum fanis sublatis, suffulctam; tectum plumbeis laminis foris convestitum, internè egregiis pitturis micans, pavimentum e marmore elegans, Frontem veteris quidem artificii, sed nobiliter ornatam. Ara in ea maxima, jaspide, achate, lazulo, amethysto, aliisque lapidibus pretiosis, ære inaurato commissis, ordine pulcherrimo fastigiatis, tota compingitur; Virginis vetus tabula Divinum Filium gestantis, amictum ex auro

puro, gemmisque compactum habet; Ornatus denique omnis fuso argento ditissimus splendet; ut aliquid aut venustius, aut elegantius vix conspici queat. Minora Sacella marmore concinnata Apostolorum, & Præcursoris præ cæteris exhibent signa; Organorum opus, odea, chorus, sacrarium magnificentiam redolent. Nec Regum aut Pontificum, & Procerum sepulchra defunt. Æris Campani turris, altitudine ulnarum sexaginta, amplitudine non exigua, soliditate firmissima, spectanda, ac nulli alteri per Siciliam secunda; Hypogeum denique ipsum, ubi Virgini addictum sodalitium, nobile audit.

Sedes Archiepiscopalis ibi instituta Northmannis Principibus insulam moderantibus, post Sarracenos. Rogerius enim pius Comes Troynæ primum Siciliæ Episcopum Robertum designans, mox illum *Messanam* e barbarorum manibus ereptam, Urbani II. Romani Pontificis autoritate, transtulit, uti ejusdem Comitis anno mxc. exaratum diploma satis innuit. In quo Robertum *Messana* Episcopum statuere testatur, quod alii in ea sedissent Præsules. Et sane, quod Apostolicum acceperit *Messana* Antistitem Bacchilum, uti certum tradunt; quod aliis vero Siculis Episcopis ille præfuerit, perperam adstruitur. Tulit primus Archiepiscopalem honorem Hugo, IV a Roberto Præsul, confirmatusque Alexandri III. decreto Nicolaus legitur, qui x. sedit. Illi in Comitibus hodie locus ii. destinatur; suffraganeos Cephalædensem, Liparitanum, Paëtensem Episcopos recognoscit, amplissimamque Diocesim obtinet; Comes Alcaræ, ac Rahalbuti dicitur, & Clero Latino nedum, sed Græco jura dat. Ea hodie dignitate Thomas Moncada fiuitur, Ordinis Prædicatorum, ex Calvarusi Principibus,
vir

vir morum comitate, animi magnitudine, & religionis zelo præcipuus, qui & Patriarcha simul Jerusalem fulget. Canonicum ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Collegium Troynæ olim coaluit, quod dignitatibus iii. atque primariis xv. alumnis componitur. Illarum prima post Pontificalem Decanatus, altera Cantoria, tertia Archidiaconatus. Habitus est Canonicalis Serica Mitra, & ab ævo vetusto campagi; Rocchettum præterea, Cappa, & Muzetta. Adesse horis in choro, & Missæ Canonici tenentur, quibus alii xviii. Presbyteri sociantur, obeundis in sacro ministerio officiis deputati.

Ex Parochiis vetustior illa S. Nicolai. Hanc enim Rogerius Comes Principem totius urbis constituit, prope pontificias ædes, unde ad S. Mariæ Novæ jura translata. S. Laurentii, ubi fons hodie in foro, dudum stabat; utque hujus spatia extenderentur, paullo infra, Caroli Cæsaris ævo, cum tholo ere publico condita attollitur; Prope veterem Jani portam, ab Valetudinarii area haud procul, in aquilonem, S. Antonii sedet, ampla, & frequentissima. Pone majorem basilicam S. Jacobi Apostoli, vetusto idolorum fano inædificata traditur Parochia, in qua dimidii anaglyphi antiquissima sepulchralis tabula, inter Sicula opuscula tom: i. novissime relata, & *Dedicationis sub Ascia* monumentum credita. S. Leonardi, apud quam Leprosorum olim domus Hospitalis, prope torrentis de Scala alveum, vulgo Flumariam sedet. S. Juliano sacram pene in urbis centro, antiquam dicit Bonfilius, cujus Parochus ex Pirro Cathedralis Ecclesiæ Canonicus esse solet; SS. Petri & Pauli Pisanorum, ita appellata, quod ad Pisanorum cives spectabat, sub Archidiaconi inspectione, qui illius Parochus dicitur, & in infe-

rioris urbis mediæ situ exurgit. Prioratus S. Matthei de Gloria antiquissimus, Cenobio de Balnearia subdebatur; cujus Ecclesia in Parochiam coaluit. S. Nicolai, ad Græcorum, *Messana* non levi numero inco-
 lentium commodum, in S. Joannis area spectandam se præbet, in quam ejusdem provinciæ gentiles frequenter festis diebus conveniunt. Sæculo xv. aucto civi-
 um numero ad septentriones, laribusque dilatatis, S. Lucæ Parochia fundata. In suburbio S. Leonis Deiparæ de Arcu Ecclesia sacris administrandis deputatur. Excisa Terræ novæ regione, quod Arci majori esset obnoxia, S. Mariæ de Gratia Parochia deleta jacuit. Sunt aliæ in suburbiis Ecclesiæ, ex quibus Sacramenta incolæ percipiunt, proximis Parochiis suffraganeæ. Inter Parochos speciali prærogativa gaudent illi SS. Leonardi, Jacobi, & Laurentii, datur enim iis in æde maxima violaceum almutium post Capitulares Canonicos deferre.

Aliæ ultra Parochias specialis notæ Ecclesiæ *Messanam* exornant: *Catholica*, S. Mariæ de Grapheo dicata, in qua Græcus Clerus sub Protopapa Divinis intendit officiis. Dicitur hæc Major Græcorum Basilica, & in Via Nova a foro haud procul exurgit, cujus privilegia, jura, exemptionesque nuper suo diplomate Benedictus XIV. Rom: Pont: die xviii. Martii MDCCLXIII. confirmavit. S. Joannis Jerosolymitani Prioratus, circa aquilonarem urbis plagam. Dives & magna hujus est Ecclesia, cum lipsanoteca ad aram maximam, Sanctorum exuviis Placidi præsertim & sociorum refertissima. Anno quippe MDLXXXVIII. ejusdem S. Martyris, & Abbatis, fratrum, sororis, & Monachorum, qui cum exciso Monasterio a barbaris Piratis pro Christi fide ceciderant, corpora inventa,
 eò

eo sollemni pompa illata sunt. Sub ipso vero sacrae aedis aditu loculi, in quibus illa condita diu jacuerunt, cernuntur, ac puteus. Praest Magnus Prior, Capellani Ordinis VIII. cum Prioris Vicario sacrae Psalmodiae intendunt. S. Joannis Evangelistae Regii Palatii Ecclesia, seu Capella, cujus Rectores ab Rege nominantur. S. Basilii sodalitas, cum adnexo Monte Pietatis, quorum moles conspicua. Ejus est institutum civibus cujusque conditionis non exigui emolumenti; Sodales ex primaria nobilitate, in sacris ceruleis procedunt. Omitto hic reliqua equestris ordinis sodalitia inferius recensenda; Sed S. Joachimi, seu *Sicra Bethleem* digna est, quae praecipuis annumeretur; Ejus enim aedificia magnificentiam, cultus Infantis Jesu religionem praeserunt. Insigni demum tholo Purgantium Animarum Ecclesia superbit, Matthaei Loffredae divitiis nostro hoc saeculo extructa.

Ascetarum cum extra, tum intra moenia plura spectantur claustra: A Monasticis incipiam: S. Placidi de *Calonero* sub Casinensi Congregatione VIII. ab urbe lapide sedens in colle, paullo post describetur. S. Mariae Magdalensae Cenobium extra portam Triumphalem cum decenti Ecclesia vetusto Vallis Josaphat Jerosolymitano Monasterio olim adjunctum S. Placidi Monachis hodie addictum. S. Joannis est Prioratus nunc Jerosolymitanus; eo primam in Sicilia Monachorum coloniam, deductam constat. S. Maria de *Latina*, erat ex suffraganeis alterius ejusdem nominis in Jerusalem, cujus Priori Canonice insignia competebant, hodieque ejus est electio penes Regem. Ad IV. lapidem insigne Cisterciense Cenobium S. Mariae Roccamatoris, a Bartholomaeo de Luce in pago Trimosterio conditum, liberaliterque bonis

nis instructum, de quo rursus erit sermo. Præ cæteris S. Salvatoris Basilianum Protomonasterium, totius ordinis in Sicilia, & olim in Calabria Caput, cujus idcirco Abbas Archimandrita est appellatus, ab Rogero Comite ad os portus anno M LXXXII. constructum, bonisque, & privilegiis ab Rege cognomine auctum; subindeque Caroli V. jussu, qui validam in ea lingua arcem constituendam jussit, in Ringo septentrionali suburbio ad littus anno M DXXXVIII. magnifico, ac vere Regio opere recenter erectum, sese spectandum offert. Cujus descriptioni erit non diu locus.

Fratres Prædicatores in colle Tironis primum, opera Reginaldi Aurelianensis, & Roderici Alemanni e S. Dominici sociis, MCCXIX. inde in SS. Annunciatae Castri ad Mare M CCLXXI. tandemque in urbe pene media confederunt. Peristylum nobile, Ecclesia amplissima, æris campani turris spectanda. In eo Nobilium Cætus, Alborum & Pacis nomine insignitus, cogitur, Præclarumque Oratorium frequentat. Consalvo Ferrante census ac auri subsidium præbente eorundem Prædicatorum sub S. Hieronymi titulo, ab Regio Palatio haud procul coaluit cœnobium; intra ejusdem peristylum Equestris dignitatis sodalitium, SS. Simonis & Judæ Apost: auspiciis, ab anno M CCCC LXXIX. institutum, nobili utitur oratorio. S. Francisci familia in VII. diffusa cœnobiis, *Messana*, ejusque in suburbiis degit. Conventuales extra olim, postmodum aucta urbe circa annum M DXXXVII. intra mœnia, post fluenti alveum in aquilonem, celebre habent Monasterium, S. Antonii de Padua incolatu insuper illustre; in cujus Ecclesia Comitissæ tres, alibi commendatæ, Violanta Palicia, Eleonora Procyda, & Beatrix Belflora jacent. Harum quippe sumptibus il-

lud

Iud fundatum medio pene sæculo xiii. dicitur. Friderici III. præterea, Elisabeth ejus matris, Joannis Infantis ex Petro II. & Guillelmi ex eodem Friderico geniti Regium cernitur sepulchrum. Conventualium itidem aliud in Cieræ suburbio assurgit S. Cecilie sacrum, eo loco, ubi Carolus Andegavensis *Messanam* obsidens castra metatus, die illi Virgini sacro inde solvens, liberam urbem reliquit. Extra etiam ad ii. m. pass. in septentriones S. Mariæ de Jesu titulo, Observantes B. Matthæus de Agrigento in S. Michaelis *flumaria* mccccxviii. constituit, de quo dixi. Alterum ejusdem nominis, ac instituti ad pass. c. a pomerio in occiduum æstivum solem xv. sæculi anno xliii. Jacobus de Tedeschis, Archiepiscopus dedicavit, Ecclesiam Archangelus a *Messana*, Ordinis Custos Generalis pulcherrima symmetria statuit, & turri ornatam voluit. Post portam Regalem maritimam Reformatis S. Mariæ Portus Salvi sacra ædes propter littus cecit mdcxiii. Pirrus Conventuales id Coenobium Urbani VIII. decreto habuisse tradit; sedenim hodie quum primi teneant, revocatos eos, Conventualesque rejectos putaverim. S. Mariæ de Misericordia Conventum primis elapsi sæculi annis Tertii Ordinis Fratres contra Societatis Jesu Collegium ex collatis piorum elemosynis statuerunt, quod & S. Annæ etiam vulgo appellatur. Capuccinis denique anno mdxxxi. opera Bernardini a Rhegio Verbi Dei præconis eximii, locus est designatus in amenissimi collis clivo ad S. Leonis suburbium. Amplitudine, concinnitate, & proportione omnia in hoc Cœnobio nitent; situsque opportunitas venustatem conciliat. Ecclesia Deiparæ de Conceptione titulum præfert.

Carmelitarum variæ sedes fuerunt ab Vvillelmi II.

tempore ; demum prope Leonis fontem ; magnificum excitarunt Claustrum sub tutelaris Deiparæ nomine , S. Cataldi Januensium æde antiqua occupata. Reformatis ejusdem instituti de prima observantia, uti appellant, in Monte Sancto supra Cammarim, & Carubaram municipia, contigit ab anno MDCXXVII. incolatus, unde illis nomen est factum. Hinc in urbem translatis S. Mariæ de Parvo Carmelo , ac de *Pilero* ædes obvenit , & S. Theodori vetus Ecclesia cecidit. S. Teresiæ alumni Deiparæ de Gratia in Terranovæ regione occupabant domum , MDCXXI. illis concessam ; nuper vero, Terranova æquata solo , circa Theatri extremum ædibus Regio munere obtentis, novum condidere, ubi decentissimè vivunt. De S. Alberto jam supra memini in S. Clementis municipio. Augustinienses Eremitæ extra muros primum, inde MCCCXXXVII. intra, elato parumper solo, Ecclesiam & peristylium nobile tenent. Pirrus S. Mariæ de Gratia extra urbem ad pass. m. iv. Augustianorum Conventum memorat. Annunciationis antiqua Ecclesia Excalceatis ejusdem ordinis MDCXI. fuit attributa, rem promovente Josepho Millio, doctrina, & moribus illustri, quæ Cieræ hodie portæ magnificæ adhæret. Hinc S. Restitutę in Terranova obtenta insuper æde, idem Joseph alterum statuit domicilium, quod illa excisa regione, integrum diu remansit, novissime vero excisum quum fuisset, Matagryphonis arce obtenta, quæ vacua extabat, ibi novum fratres condunt cœnobium. S. Mariæ de Mercede Conventus MDCXXIXVII. fundatus, statim extra portam Lignorum in fluente Luscinie, aliter Deiparę de Pede Cryptæ titulum habet, ab sacra æde fratribus concessa. Tritarii Redemptionis Captivorum alii in S. Philipp de

de Agyrio **MDLXXX**. excepti sunt; quod quidem templum dudum **S. Febroniz**; antiquis vero temporibus **Castoris & Pollucis Fanum** fuisse creditur. Alii vero **Excalceati** in **Regii Palatii foro S. Caroli** nomine **MDCLXXXIV**. conditum cœnobium incolunt portus theatro respondens. **B. Francisci de Paula** alumni **S. Sepulchri** vetus asceterium, quod **Monregalensis Ecclesie** suffraganeum erat, juxta **Fundatoris** prophetiam, ipsoque in vivis adhuc agente, anno **MDVII**. occuparunt, ad portus orientale littus, & magnifice instauratum hodie tenent. Hospitalarii demum **Fratres S. Joannis de Deo, Didaci Henriquetii** Proregis opera *Messane* ab anno **MDLXXXVIII**. constituti, ineunte sequenti seculo cum amplo valetudinario decentem sibi domum statuerunt.

Societatis **Jesu IV. Messane** domicilia spectantur. Primum **Joannis Vegæ** Proregis auspiciis in **S. Nicolai de Nobilibus**, **Græcis** olim addicto templo **MDXLVIII**. **S. Ignatio** in terris adhuc agente, coaluit, quod **Professionis** dicitur, ac ad omnem magnificentiam alis **IV. & pronao**, cum æris sacri turri assurgit. Collegium ad **Porciorum vicum**, situ nobili, in amplis **Scalettæ dynastæ** ædibus **MDCVIII**. ortum habuit, cum **S. Joannis Baptistæ** cultui addicta Ecclesia; brevique in elegantiore, laxioreque tota urbe crevit domum. **Tirocinium**, quod in universa **Societate** primum post **Romanum** est institutum, sub **Deiparæ Nativitatis** nomine, ad angulum urbis occidentalem, & meridianum supra collem **Tironis** ab anno **MDLXVI**. sedet, subjectoque late dominatur portui, ac freto. **S. Francisci Xaverii** collegio in **S. Joannis** area contra orientem, annus **MDCXXXV**. prima incunabula dedit, authore **Petro Balsamo** **Rocce Floride**

ridæ Principe. Theatini ejusdem sæculi anno XII. in Aucupatoris via, Joannæ Cibo Nasi Comitissæ divitiis adjuti, ac Simonis Carassæ Archiepiscopi suppetiis, Ecclesia SS. Annunciata cum insigni prospectu, & claustro edificatis, decorem hodie urbi conciliant. Idem novissime sub S. Andreae Avellini nomine domum aliam a fundamentis excitarunt, spectatu dignissimam, circa australem S. Joannis areæ plagam. S. Agathæ vetus Ecclesia, ubi ejusdem Virginis exuviae e Byzantio advectæ, aliquando quieverere, Clericis Minoribus anno MDCXVI. data est, quam in ampliorem, satisque elegantem formam redactam propter majoris basilicæ forum videmus. Clerici infirmis in agone ministrantes in SS. Petri, & Pauli Parochia, quæ alibi idcirco translata, sæculo XVII. in eunte sedem fixere; Decenti, ac congrua structura mox domum instruentes, pia instituti munia obeunt, ad quæ illorum author S. Camillus non semel *Messanam* delatus, verbis & exemplo incendit. Anno MDCXXV. Melchior Alachius Siculus Narenensis XII. cum sociis *Messanam* a B. Josepho Calafantio Scholarum Piarum Fundatore, uti hos in Sicilia constitueret, transmissus, ad vota pronum universum nactus Senatuum, locum ab eo, suppetiasque impetravit. Verum adversantibus complurimis in urbe potentioribus, opus tunc dilatum, quod novennio elapso, volente Alphonso de Cardenas Urbis Stratego resumptum, tandem MDCXXXV. sub S. Idelphonsi Toletani Antistitis auspiciis, prope S. Mariam de Porta, Ecclesia, & Collegium referatum, quod hodie non levi civium commodo viget. Novissime in eo Nobilium quoque Ephebeum sub S. Mariæ de Epistola titulo MDCCL. primordia sumpsit, & strenue promovetur.

His

His Regularium Clericorum ceteribus adjiciendum S. Philippi Nerii Oratorium, quod e S. Cathari næ Ecclesia translatum, in via de Cardenas, & vico Judaico diebus hisce, ædificiis nobile, & templo magnifico, cum eximia fronte spectatur. Clericorum insuper Seminarium, in Theatro præcipuum habens prospectum, an: MDLXXXII. initia, & sequentis sæculi an: xx. perfectionem cognoscens, Theatinisque commissum; Ephebis demum cujusque conditionis, etiam nobilibus apertum. Aulæ in eo laxiores ad scientias, artesque liberales tradendas deputatæ, & pro Archiepiscopo ædes quoque addictæ conspiciuntur. Pro spiritualibus denique exercitationibus domicilium, in suburbio Carubaræ, loco elevato, paucis ab hinc erectum, & amplissimis fabricis, Societatis Jesu Presbyteris curantibus, instructum.

Monialium Cœnobita sub SS. Benedicti, & Basilii disciplina, aliisque institutis complura *Messana* viguisse Pirrus, & gentici tradunt Scriptores. Hic quoque nostra ætate perstant xvi. numero, uti se offerunt recenseam. S. Salvatoris Philantropi nomine occurrit primum Rogerio Comite authore, media pene urbe situm hodie, cum elegantissimo templo, in quo juxta Basiliensis ordinis ritum Græcè Divina officia celebrabantur. S. Catharinæ Vallis Viridis, in australi urbis inferiori regione supra Veneris fanum, mcccxxx. locatum, sub S. Augustini Canoniarum regula; cujus Abbatissa Provincialis in Sicilia & Calabria dicebantur; Annulo hinc, baculo, & campagis utitur. Ecclesia vero hujus sæculi initio, in amplio-rem cultum redacta effulget. S. Maria de Scala ad radices olim collis S. Ricci, uti inuui, Guillelmi Regis munificentia Capellæ Regiæ titulo donatum, Dei

paræ prodigiis claræ veteri icone, decentissima Ecclesia, claustroque insigni propter Bozettæ fluentum decoratur, profitenturque illius alumnae S. Benedicti instituta. Sub Tironis colle S. Barbaræ ædem præcipuam, elegantemque habent Benedictinæ etiam sacrae Virgines, quarum origo sæculo XII. consignatur. In Gentilmenis vico S. Annæ spectandum se præbet Monasterium, cujus Ecclesia marmore, & picturis concinnatur. Professio Cisterciensis est hodie, at in primæva origine Ula de Graffeo fundatrix sub S. Basilio constituit. Muniendæ urbis causa eversum quum esset S. Gregorii pervetustum claustrum, quod unum credunt ex conditis a S. Pontifice cognomine; Monastriæ domum S. Angeli in Caparrinæ colle sibi vindicantes, egregium MDXLII. sibi parthenonem condidere, cui nobilissimam vario marmore e summo ad imum expolitam adjecere basilicam. In S. Michaelis claustrum, Ascensionis, & Deiparæ de Misericordia transtulit Archiepiscopus Cardinalis Mercurius MDLVI. sub Matagryphonis arce. Gaudet situ amœnissimo, elegantique Ecclesia, & S. Benedicti inheret etiam institutis. Proximum huic imminet S. Pauli, origine quidem recentius, ab anno scilicet MDLXV. sed alumnarum excellentia clarissimum, cujus Ecclesia novæ, & splendide formæ paucis secundæ assurgit. S. Mariæ de Alto ædes miraculo consecrata Cisterciensibus, quæ extra debebant, MCCCCLXXXIII. cessit. Templum in Caparrinæ clivo adhuc hodie frequens, festumque *Apparitionis Columbae* summa omnium ordinum pompa celebratur. Extra portam denique Imperialem in Cieræ regione ad occidentem Spiritus Sancti Monasterium Benedictinas Cistercienses alit, cujus origo circa sæculi XIII. exitum
 consi-

consignatur; Ecclesia, ac peristylium elegantiam, & amplitudinem præferunt.

Jam ad Minoritanas præscriptas leges vivit S. Clare de *Basico*, cujus notitiam jam supra exaratam habes, ubi de *Basico* Casali. At hic minime dissimulaverim Messanenses Historicos hoc S. Clare ab illo de *Basico* omnino distinguere, quod S. Mariæ titulum retulit. Pirrus vero utrumque Coenobium de *Rametta* in Regiis libris vocatum advertens, S. Clare, & S. Mariæ in agro Mylarum *Basico*, a Friderico Rege conditum, Ramettam mox translatum, tandemque *Messanam* devectum adstruit. Cætero de S. Clara laudati Scriptores tradunt, ortum habuisse adhuc in vivis agente eadem S. Virgine, & Regiam Capellam ab eodem Friderico fuisse constitutam. Situm hodie antiquum occupat in Regii Palatii area; Ecclesia sæculum xvii. non excedit; Vetus vero intra claustra Aragonensium Principum ostentat adhuc insignia, quod eorum ibi sorores, ac filię, olim Moniales, sint conditæ, ac Monasterii diu regimen tenuerint. S. Mariæ porro Northmannorum temporibus coævum faciunt; Gallisque Siciliam vexantibus, Ramettam sacras Virgines se contulisse; mox Elisabethæ Reginae opera *Messanam* sub Caparrina & S. Maria de Alto æde sedem statuisse, dicunt; ubi adhuc insigni cultu Ecclesiam concinnatam habentes, ad exactam instituti normam illæ degunt. Mons Virginum sub Deiparæ nomine B. Eustochiam Calafatam e S. Marię de *Basico* eductam dcccliii. sub arce Guelphonia cognoscit fundatricem. Est illius templum picturis, & vario marmore conspicuum; ad arctiorem regulæ custodiam sacre Virgines vivunt, & integrum ad aram maximam ejusdem B. Eustachię corpus

corpus venerantur. Juxta Imperialis portæ moenia sub Tirone Claustrum S. Mariæ Angelorum assurgit decentissimum, Capuccinorum institutis addictum, cui Sacrarum Stigmatum anno MDCCLV. & novissime aliud S. Mariæ de Victoria sunt adnexa. Conceptionis Deiparæ auspiciis Tertii Minoris Ordinis Moniales nuper MCCCXLVII. coaluere. S. Eliæ titulo Parthenon contra alium S. Catharinæ circa sæculi XVI. annum X. Minimorum Paulentium regulam sectabatur, ad S. Augustini subinde transit, in quo insignes sanctimonia Virgines vixisse memorantur. Recens est S. Terefiæ Monasterium, sed religiosæ vitæ, atque integritatis cœnobiticæ exemplar. Conditum initio in Terræ novæ regione, disjectumque anno MCCCXIII. loco opportuniori consurgit, Lauræ de Joanne ex Ducibus de Saponara divitiis, quæ in eo se conclusit, splendide ædificatum.

Publico civium infimi ordinis commodo prospectum *Messana* fuisse, varia *Pia Loca*, uti appellant, quæ descriptis jam sacris Regularium ædibus attexere incipio, satis abunde arguunt. Anno enim MDCXLII. in S. Angelo de Græcis contra S. Catharinæ Monasterium Civici Senatores, in sodalium congregati Puellas & Pueros parentibus destitutos binis Ephæbeis ad opus constructis, educandos susceperunt. Perdurat Locus variis Rom: Pontificum diplomatibus confirmatus, & gratiis auctus, ubi Mutui Mons insuper, eorundem sodalium opera coaluit. In via Cardenas Deiparæ de Sacra Epistola auspicio domus cum Ecclesia dispersis pueris instituendis addicitur. Senatus beneficio MDCXXX. ædificium promotum; nuper vero Laviesuillei Proregis jussu artis etiam Musicæ schola ampliata. Parthenon S. Mariæ, Peccatorum

torum Advocatę, in suburbio Portę Lignorum Puellas pauperes fovet, fidelium eleemosynis vicatim collectis enutritas. Sub SS. Conceptionis vocabulo dispersas Virgines in unum congregatas Joannes Vega Prorex MDLV. voluit; quę in vico Montis Virginis elapso sæculo claustrum habuere sua elegantia præditum. Alborum, seu Pacis Nobilium Societas in collis Caparrinę latere S. Catharinę de Senis pauperum Virginum constituit domum, quę viget hodie. S. Teresię ad Portam Regalem altero hujus sæculi anno surrexit pro Virginibus custodiendis claustrum. Malenuptis Mulieribus in S. Pelagia datur se recipere. Erat hæc olim Regularium Canonico- rum S. Sepulchri, ubi Prior S. Crucis residebat. S. Marię Magdalenę denique Gyneceum Nobiles S. Basilii sodales MDXLIII. prope magnificentissimam Montis Pietatis domum constituerunt, in quo foeminae detinentur e peccatorum cęno ad meliorem frugem conversę.

Ex Valetudinariis, quę numero XII. olim *Mes- sana* subrigebantur, uti Dominicus Gallus in suo eruditissimo Apparatu ad patrię Annales tradit, non nisi sex perdurabant anno MDXLII. quum primum de uno ex pluribus minoribus maximo constituendo actum est; erantque S. Clementis, Rogadei, Annun- ciatę Castellimaris, S. Angeli de Caparrina, S. Marię de Monferrato, & Angeli de Grande, quorum situm, originemque idem Gallus expendit, & Bon- filius memorat. Rectoribus itaque singulorum Fer- rantes Gonsaga Prorex in Regium palatium coactis, Senatu, & Archiepiscopo adstante, maximum, uti dixi, condendum sanxit. Hinc post sexennium in- gens illud, & vere augustum ædificium in foro S. Cru-
cis

cis, a Porta Imperiali haud procul, cum satis undique patente area excitatum intuentium hodie ad se convertit oculos, ac inter urbis moles prima computatur. De Hospitali domo apud S. Joannis de Deo Fratres jam supra egi. Anno MDCXII. Ecclesiasticus cætus Nosocomium pro infirmis Sacerdotibus contra Archiepiscopale Palatium erexit, nomenque S. Petri Apostoli dedit. SS. Trinitatis Peregrinorum ab anno MDLXXVI. fundatum illos excipit, qui ad sacra Jerosolymorum loca contendunt, aut inde ab illis redeunt; Urbisque cognomini Zenodochio unitum iisdem fruitur privilegiis, & gratiis. Remanent Eremitarum ædes cursim indicandæ; in arduo enim colle supra urbem in occidentem, S. Conradi, olim Deiparæ de Visito appellata, ubi ad S. Pachomii regulam vivunt. Sub arce Gonsaga S. Jacobi, paucis ab hinc meliorem in formam redactum. S. Mariæ Angelorum supra Dromum colli insidet amænissimo. S. Mariæ Drepanensis, Xaverio Amato authore, supra S. Leonis suburbium. Deiparæ quoque de Gravitellis ad Luscinia torrentis caput vetustum. Supra Ringum idemque, suburbium septentrionale, in tumulo S. Nicolai subrigitur.

Stratego, ab ævo vetustissimo *Messana* regimen commissum; munus vero, ac dignitas Strategæ amplissima, ac post Proregem primaria censebatur; gaudebat enim in sua ditione, *Distriktus & Constriktus* nomine distincta, omnimoda gladii potestate; suos habebat Judices in jure consultos, ad quos inferiorum statuta, via appellationis devolvebantur; Ejus penes Regem erat Electio; nec removeri, aut ab officio dejici a quoquam poterat. Stratego porro Generalis Governator successit, cui *Regie Audientia* adstant
Judices

Judices. Quæ ad Militiam attinent, Legatus quoque Regis curat. Ad Senatum Civilis spectat Politia, urbisque economica administratio. Ejus dudum auctoritas ampla erat; electio communibus civium suffragiis celebrabatur; suum ad Regem Legatum destinabat, qui perhonorifice excipiebatur. Minister insuper, uti hodie appellant, Patrimonialis cætus ex Judicibus conflatus est caput; Mensæ Nummulariæ, & Sanitatis publicæ Magistratus, Consularesque Maris, & Serici propriis quoque funguntur muniis, urbemque, ea qua decet reſtitudine, moderantur. Civium privilegia, exemptiones, ac libertates cum veteres, cum recentes, quibus scilicet hodie fruuntur, complures sunt ac singulares, longoque ordine apud rerum patriæ scriptores recensentur. De Archiepiscopo, qui Metropolitana insignitur dignitate, & amplissima præ cæteris Siciliæ Præsulibus Diœcesi gaudet, jam dixi. De vetusto stemmate, seu signo variant opinionibus, nam arcem Turritam alii; Portus Falcati speciem usurpasse nonnulli putant; Sed Crucem Auream a multis retro sæculis Arcadii Imperatoris indulſtu extulisse *Messanam* fatentur omnes. De Ordine demum Militari, sive Nobilium Equitum Academia, qui a Stella dicebantur, MDCXCV. instituta, consule laudatum Gallum in *Apparatu*, qui novissime de ea scribit.

Messanæ origo antiquissima, uti enim alibi innui, prima omnium in Sicilia habitatio post fretum iniri oportuit. A curvo autem littore *Zancla* primis illis insulæ incolis, quicumque ii fuerint, appellata Zanclum, & Orionem principes habuit, & hunc insuper instauratorem, meniumque, ac turrium opificem. Idem Neptuno in lacubus Peloritans aram posuit, ubi subinde celebre templum stetit. Hercules non

diu freto transmissio, *Zanclam* invisisse traditur, qui Sicanos in Insula tyrannos oppressit. Quod Ætneorum ignium metu Sicani *Zanclam* quoque cum aliis orientalibus locis vacuam reliquerint, opinantur, nec absque ratione complures. In occiduas enim illi oras quum immigraverint, Siculis cessisse locum dicuntur, qui *Zanclam* cum primis, quæ post trajectum statim occurrebat ex Italia venientibus, moxque alias ad orientem sub monte Ætna plagas occuparunt. Ex Græcis, qui præ aliis in Siciliam Colonias deduxere, Chalcidenses memorantur. Hos autem sub Periere, & Cratamene, indeque sub Theocle appulso *Zanclam* incolis frequentasse veteres uno ore affirmant. Sub his *Zancla* res nimis auctæ, compluresque illustres viri in ea efflorere. Sed Samiis, Jonisque, ac demum Messeniis quum urbs cessisset, vetusto *Zancla* nomine deleto, *Messana* deinceps appellari cepit. Messeniorum Duces Gorgus, & Manticus, qui *Zanclæos* in societatem adscitos, una simul habitantes, Rempublicam constituerunt. Mantici opus dicitur celebre Herculis fanum; Messeniis etiam adscribuntur Castoris & Pollucis, necnon Eusculapii templum, ac columnæ.

Conflatum in Sicilia posthac Atheniense bellum insulæ urbes diu inter sese divisas detinuit. *Messana*, quæ Syracusanas partes tuebatur, Atheniensibus aliquando cessit, mox excusso jugo, in libertatem asserta, hanc diu varia fortuna tueri, cognatosque populos suppetiis juvare studuit; Carthaginenses enim postquam debellatum cum Atticis in Sicilia fuerat, meridianam illius ditionem invaserant, atque universa Sicilia potiri in animum induxerant. His oportune Syracusani Dionysio Duce vires suas opponere,

nere, nostrisque fœderati illorum conatus dissipandum strenue adnituntur, *Messana* hostium incurfionibus patuit, ab iisque excifa, Inilcone Peno auctore, ingentem ruinam est paffa. Brevi tamen Dionyfii ejufdem opera, novis inductis colonis inftauratur; quumque fub Hipparci, & Ipponis tyrannide aliquando oppreffa ingemuiffet, a Timoleonte demum Corinthio, fervitute exempta, fuis deinceps legibus vixit, ad Agathoclis tempora, fub quo variis jactata eft procellis, Mamertinosque ab ejus morte novos incolas accepit. Hi peffimè cives habuere; noctu enim eorum compluribus trucidatis, uxores, ac filios fibi vindicaverunt. Quum vero in dies potentiores evaderent, Hiero, qui Syracufarū Rex proclamatus, ab eis timebat, infeftum bellum intulit, ac pluries de illis triumphavit. Victi ad Romanos fe convertentes, auxilia ab his poftularunt; qui Mamertinis ferendæ opis prætextu, revera tamen Siciliae potiundæ defiderio incenfi, Appium Claudium Caudicem ex Confulibus alterum cum exercitu transmittunt; Hic *Messana* a Mamertinis exceptus, Hieronem fibi aciem opponente, fundit, Penosque ad propria redire compellit. Ex tunc Sicilia magna ex parte Romanis adhærens, illorum Provincia evafit; *Messana* autem fingularibus affecta gratiis, & privilegiis fuit, uti S. P. Q. R. decretum penes hiftoricos relatum eloquitur.

Emolumentum quammaximi Romanis in primo & altero Bello Punico *Messanam* fuiffe, ob fitus opportunitatem, paffim Annales produnt; Datum hinc illius civibus longa perfrui pace, quam nec Servilis Belli mala labefactarunt; Nec Marii, Sillæque civiles discordiæ, unde Romana Respublica diu turbata. Pompejus enim ad pacandas in Sicilia turbas a Silla

missus, & si *Messanensibus*, qui Marianis partibus non nihil studuerant, minus æquus initio videretur, Steni eximii civis virtute, ac facundia victus, illis deinceps propitius evasit. Verres ipse ab insatiabili avaritia celebris, Siculisque omnibus infestus, solos voluit Messanenses ab suis rapinis immunes, quorum pertimescebat potentiam. Ubi inter Octavianum, & Sex: Pompejum civile bellum exarsit, atque hic in Sicilia se continens, Classemque in Messanensi portu validam habens, in hostem non semel duceret, jacturis experta urbs nostra non fuit. Devicto hinc Pompejo, hujus etiam Ducibus in prædam abiit, atque a Lepido insuper III. Viro occupata, tandem Octaviano cessit, cujus opera pristinae integritati, & gloriæ restituitur.

Sæculis reparatæ per Christum Dominum humanitatis allabentibus, non minori celebritate *Messana* effulsit; Nam & S. Paulum Apostolum incolam, ac Fidei præconem, Bacchilumque primum habuisse Antistitem ab eodem constitutum; Episcopo idcirco Apostolico condecoratam affirmant. Ad cives præterea a Deipara scriptam Epistolam, quæ traditione, quæ non infirmis congruentiis, mordicus asserunt, supra ceteros adeoque populos præcipuo affectos honore, ac Virginis perpetuo patrocinio sese suffultos gloriantur. Qua de re integri prodire tractatus. Martyrum denique complurium sanguine illius Ecclesiam fecundatam Agiographi evulgant, quos inter Eleutherius Pontifex, ejusque Mater Anthia recensentur. Pace per Constantinum Christianis parta, Sicularum provincia, quam diu Diocletianus vexaverat, aliquando quievit. *Messana* sub Arcadio insigni facinore innotuit, eundemque Imperatorem egregie sibi demeruit, a quo vicissim, uti tradunt, amplissimis privilegiis dona-

donatur. Elpidis Severini Boetii uxoris nobilissimæ feminae, ortu insuper illustrata, ac prima ordinis S. Benedicti colonia. Martyrio demum S. Placidi, & sociorum consecratur. Habent Annales: pluries Barbaros exscensione facta, *Messanenses* oras devastasse, pioque illius cives, & Monachos præsertim oppressisse; donec tandem majori vi, ingentique pene numero ex Africa devecti, insulam universam sibi asseruere, & *Messanam*, quæ fortiter ad annum MLVIII. illis restitit, ultimam Siculas inter urbes oppresserunt. Post longam servitutem jugo Insula erepta, Northmannorum Principum, & Rogerii Comitis cum primis ope, novam induit faciem. Northmannos autem, eorumque auxilia in Calabriam usque delatos, ingenuos quosdam Messanenses, ac viribus animi præstantes sollicitasse ferunt, tunc Rogerius in tota, quæ circa *Messanam* erat, ditione, Monasteria, & Ecclesias constituit, tanto quidem numero, atque in eorum designanda dote munificentia, uti pene locus tota in regione vix extet, qui non sit sacris ædibus Comitis dono addictus. Tunc e Troyna translata Pontificali Cathedra, hac honoris tessera *Messana* condecoratur, variisque exemptionibus, & gratiis afficitur.

Anno MXC. Philippus Galliarum, & Riccardus Angliarum Reges, qui in Syriam opem Christianæ republicæ laturi, cum classe trahiebant, *Messana* portum tenuerunt. Henrici VI. Cæsaris, & Siciliæ Regis hinc præsentia nobilitata, & privilegiis urbs aucta; nec minoribus per Fridericum, & Constantiam gratiis cumulata, Conrado illius filio, & hæredi fidem suam probavit. Excessit hic e vita tertio regiminis anno apud Amalphim; quumque illius exuviæ tumulo condendæ *Messanam* fuissent delatæ, ac in majori

Eccle-

Ecclesia funebri pegmati impositæ, fortuito incendio consumuntur. Flagravit, & templum ipsum, non levi sane jactura, quam brevi reparatam docet carmen a Gualterio e templi ejusdem pariete exscriptum, habens sub ipso initio: *Hic adsurgit opus, fuerat quod ab igne crematum.* Carolus porro Andegavensem habuit quoque *Messana* propitium; sed ejus milites infensos experta, cum reliquis insulanis in illorum exterminium conjuravit; Aragoniosque complectens, longam diu pertulit ab hostibus obsidionem. Celebris adhuc est civibus S. Cecilie dies, quo Carolus oppugnatione soluta menibus inde cessit; locusque, ubi castra ille posuerat, ad urbis perniciem, ejusdem S. Martyris superextructa Ecclesia, memorabilis habetur. Quot fidei pignora eisdem Aragonensibus Principibus *Messana* deinceps præbuerit, quo zelo, quibus suppetiis, illis adstiterit, satis historię produnt; vicissim verò quali benignitate, quantisque favoribus munerata fuerit, enunciant.

Paruit nihilominus aliquando Neapolitanis, & Paliciorum, aliorumque procerum dissidiis, turbisque civilibus exagitata, varia fortuna usa est; sed legitimis tandem dominis reddita, unicè illis accepta evasit, ac inter præcipuas distingui perpetuo meruit. Sub Castellanis, atque Austriacis potentia, autoritate, divitiis, civium virtute illustrium multitudine, populique frequentia potissimum valuit ad elapsi sæculi annum LXXIII. Carolo enim II. Regni potente, quum civium animi in factiones abiissent, & Consularium quorundam sive emulatio, sive inconsulta ferocia, res ad extrema adduceret, urbs tota in ruinam prolapsa, vitam felicitatem amisit. Tunc arx major, vulgò *Cittadella* ad majorem portus tutelam fundata.

In pristinum splendorem Sabaudia Dux Victorius Amedeus, cui Sicilia tunc obtigerat, anno m̄cccxiv. revocavit, Senatus prerogativam, atque insignia rursus civibus concessit; quod, & Carolus Cæsar rathum voluit, & *Portus Liberi*, uti dicunt, intermissas immunitates attribuit. Carolum Sebastianum Borbonium, m̄cccxxxv. de Arce majori expugnata veluti triumphum agentem, *Messana* excepit, a quo benegnissimè est habita; Dum vero majores in dies incrementa expectaret, sexennio post exitiali corrupta lue, civium non exiguum amisit numerum, ingentemque bonorum jacturam indoluit. Levatur in dies, ac Societatis Mercimonii ope, quam Laviesuilleus Prorex paucis ab hinc instituit; veterem assequi felicitatem, Deoque auspice, prospera uti deinceps fortuna confidit; Quandoquidem Princeps hic toto, quo in ea demoratus est, tempore, quatenus novam *Messana* indueret faciem, ferventissime studuit.

De Messanensis agri fecunditate, Serici copiosissima segete, fructuum cujusque generis, necnon oleorum abundantia, de salubri clymate, flantibus semper ab ortu auris temperato; De Vino, veteribus, Athenæo, Plinio, & Straboni celebrato; de amenissima Xiphii piscatione; de Conchis ad Pelorum, Coturnicum aucupio, piscium sapidissimorum captura; de laudatissimo denique corallo consulendus Placidus Reina. Ad Agrum pertinent bina in portus littore edificia, sacrum unum, S. Marię de Crypta scilicet templum, Philiberti de Sabaudia jussu inceptum, & Ducis de Mello Proregis opera m̄cccxxxix. absolutum, quo d eo primum appulerint. Alterum vero elegantissimum suburbanum Paradysus nomine ob situs amenitatem, ruralesque delicias appellatum, ubi excipi insignes viri, ac Proreges primum solent.

Ve-

Veteres Numos argento, & ære percussos Philippus Paruta exhibet, eorumque elucidationem Paulus Aglioti eruditissime adornavit; Sed ob inmaturationem authoris mortem opus intermissum lucem adhuc non vidit. Inscriptos lapides Georgius Gualterius edidit; quæ quidem omnia singillatim expendere Lessici angustia non patitur. Illustres demum cives, qui patriam nullo non ævo illustrarunt, Cajus Dominicus Gallo longo catalogo novissime prosequitur, & cuique ætati respondentes commendat; quorum præcipuos etiam cursim referre si vellem, ab instituto brevitate recederem. Pietate enim, & morum sanctimonia insignes; Eruditione, ac doctrina præstantissimos; Dignitatibus cum sacris, tum civilibus etiam majoribus, summa cum laude perfunctos; Militia, animique robore celeberrimos; ac liberalibus denique artibus eximios commendare vix pagina posset. Ex horum porro celebritate, atque excellentia, qualis sit urbis indoles, quod insit ejusdem incolis ingenium, perquam facillime dignosces: religionibus nempe inclinatum; suos erga Principes propensum; de patriæ juribus, incrementis, splendore, ac fama, supra quam credi potest, sollicitum; ad literas, atque ingenii studia promptissimum; ardua quoque audens; in agendis fervidum, ac moræ impatiens, adeo ut freti naturam referre videatur. De Censu, in Regiis libris non nisi Caroli V. ætate memoria extat; *Messanæ* enim lares, & Casalium, 8100. tunc temporis elucent. Nostro hoc sæculo 40393. animas, focos 12197. descriptas, exceptis Casalibus videmus; proxime ante lucem 42161. incolæ, & municipiis consociatis lares 17377. incolæ 60382. numerum dedere.

MICARELLA Turris Specula inter promontorium Calavæ, & Broli Arcem in aquilonari littore. S. MICHAELIS Massa, Vide *Massæ*.

MIGAIDUM Casale a Castellucio pass. m. iii. distitum, cujus hodie S. Antonii extat Ecclesia, & turris. Juris erat gentis Vigintimilliæ. Ad Agratios hodie spectat.

MILATIUM. Vide *Mylæ*.

MILGIS Casale, quod Ecclesiæ Messanensi Rogerius Comes anno MLXXXV. suo diplomate attribuit.

MILICIS Castri Regalis Municipium. Abest ad occidentem pass. m. ii. & d. agerque, in quo situm, quum Magni Prioris S. Joannis Jerosolimytani de Messana sub clientela sit, curam hic animarum Sacerdoti delegat in S. Mariæ Parochia degenti; sed civilis politia penes ejusdem Castri Magistratum residet. Veteris superstitionis fanum ibi olim assurgebat, quod ex ruderibus cognoscitur. Ab Rhodi altero municipio pass. m. sejungitur.

MILIS Ex Messanensibus est municipiis ad austrum, in Superius & Inferius distinctum; hoc scilicet in littore, illud in colle sedet. S. Mariæ Basilianum celebre Monasterium de *Mili* in *Flumaria*, seu amnis alveo assurgit, ab Rogerio Comite MXCII. Christi anno fundatum, ejusque Abbati opidum subest. Michael primus Abbas constitutus, alios habuit ejusdem ordinis successores ad MCCCXC. quo Petrus de Cardona Vigellensis Episcopus, Ferdinandi Regis munere, Cœnobium habuit commendatum. Carolus vero Cæsar hujus nominis V. Magno Messanensi Valetudinario pingues illius census, Pontifice indulgente MDXLII. designavit; Hujus idcirco Rectores Temporales Domini *Milis* opidi habentur, atque in Comitiis

tiis locum xxvii. occupant. Jacet in illius vetusto templo, marmoreo conditus sepulchro cum epigrapha. Jodanus laudati Comitum filius, Syracusis anno mxcii. e vivis sublatus. S. Marcus Parochialia in opido Inferiori conservat inunia, & minoribus iii. Ecclesiis jura dat. In Superiori vero SS. Apostolis Petro, & Paulo Parochia dicatur, & suffraganeas vi. regit Ecclesias. Lares in inferiori sunt 149. animæ 587. Superius vero focis 128. incolis 744. hodie conflatur.

MILITELLUS Opidum Principatus titulo illustre, ad eam Siciliae aquilonarem plagam in collibus sedet, quos Rosmarinus, & S. Philadelphi amnes ambiunt, amplissimoque gaudet territorio ad littus usque, ubi S. Agathæ arx, quam alibi ad S. Philadelphum opidum spectare dixi post Orlandi promontorium. Sed enim Arx S. Philadelpho obnoxia Aquarum Dulcium dicitur; S. Agathæ vero juris sui est, & *Militelli* Principis fasces recognoscit, qui Marchio idcirco S. Agathæ ab anno mdcxxvii. audit. Recens a Fazello *Militellus* vulgatur, primis tamen Northmannorum temporibus extabat, atque sub Saracenis alio fortasse nomine veniebat. In Messanensis enim Parochiæ Censu ejus fit memoria, & *Miletum* appellatur. Situs in aquilonem, ortum, atque occasum declivis, cum arce in collis supercilio ad austrum, ubi dynastæ sunt ædes; Majus parochiale templum S. Blasii referens titulum, medio pene opido post arcem attollitur sub Archipresbyteri cura, qui communi Sacerdotum cœtui præest, & minoribus S. Nicolai & S. Sebastiani, aliisque Ecclesiis jura dat. Ex Cœnobitis S. Dominici Fratres Conventum habent sæculo xvi. in honorem Deiparæ constructum; Minoritani in S. Antonii Abbatis, locum cedentibus laicis sodalibus, sub

arce

arce in tumultu ad austrum ab anno MDLXV. degunt; Benedictinæ demum Moniales decenti clauduntur parthenone, qui Dynastarum opera, incolarumque suppetiis coaluit. Memoria digna est S. Mariæ de Brignolito Abbatia, cujus purum nomen adnotare licuit.

Dioecesi Messanensi comprehenditur *Militellus*, Comarchiæ Tortoricis, & S. Philadelphi militari Instructori subditur. Habet latitudinis gradum xxxviii. x. & longitudinis xxxviii. xxx. lares sub Carolo V. numerabat 529. incolasque paullo post 1232. Sequentis sæculi anno LII. laribus 495. civibus 1670. cenfebantur, novissimè focos 506. animas 1700. exhibuit. Ager, uti dixi, longè, ac latè patet ad Troynensem usque ditionem, frugum fertilis, oletis, vineis, morisque confitus, & alvearibus instructus, tanta præstantia, & mellis copia, ut ab eo nomen sit opido inditum, quasi *Mellis tellus*. Sed & saltibus venationi jucundissimæ idoneis insuper abundat, quercubus, ilicibus, aliisque hujus generis arboribus adeo exuberat, uti ex celebrioribus insulæ ejus passim nemus habeatur. Montes ceterò Sori aquarum venis, fruticibus, pascuis, omnibusque ruralibus commodis abunde præditis, Hæreis Veterum Montibus non injuria equiparatis, Militellensis agri finibus majori ex parte clauduntur. Memorat Mongitore Sebastianum Caronitum Soc: Jesu, qui eloquentia, & eruditione plurimum valuit. Laudatur etiam inter cives Antonius Ordinis Minorum, qui Generalis Definitor in Romanis Comitibus adlectus, & doctrina singulari ornatus innotuit.

Northmannorum ævo, Suevisque regnantibus, uti de S. Marco confine opido innui, Regio sub dominio immediate fuisse *Militellum* opinor. Primis autem

Aragonensium temporibus *Garfias Sancius de Esur* Miles obtinuit, quo ab officiis desciente, *Sancius Aragonius* Regii sanguinis princeps, sed ex damnato thoro obtinuit, uti in *Friderici II.* ejus patris Censu adnotatur circa annum mcccxx. Hunc excepit *Fridericus* filius, cui Rex avus bona paterna mcccxxv. confirmavit. Ex eo, & *Joanna de Auria* conjugē exorti sunt *Sanciellus* & *Vinciguerra*. Ille cum *Lucia Palicia Matthæum* genuit, qui sine prole decessit; Hinc *Vinciguerra* patruus in dynastiis successit, de quo alibi in *S. Marci* Comitatus notitiis satis dictum. Ejus II. filius *Fridericus* a *Martino* deficiens, bonisque suorum spoliatus exul periit, post quem *Bernardum de Caprera* idem Princeps suffecit. *Bernardus* cum *Monte Rubro* opido commutavit, & *Henrico Rubeo* hujus domino mcccc. *Militellum* cessit. *Henrici* filia data est in matrimonium *Antonio Spadaforæ*, qui sibi *Militellum* deberi contendebat. Verum anno mcccclv. *Guillelmus Rubeus Henrici* patruus, ex lege *Henrici Senioris* obtinuit, cui filius *Aloysius* successit, alique ex his progeniti, quorum postremum *Vincentium Hieronymum* anno mdxvi. *Barberius* in *Capibrevio* memorat. Hunc florenti ætate e vivis ereptum *Angela* Soror excepit, quæ *Joanni Gallego* conjugē destinata, huic *Militellum* pro dote attribuit. Per hæc tempora *Antonius Rocca* Messanensis, soluto pretio, opidum sibi vindicavit, tenuitque ad annum mdxliii. quo e vivis, nonagenario major, sublatus est. *Gallegi* non diu revocarunt; Hinc *Aloysius* Joannis pronepos *Philippi IV.* rescripto mdclxiii. Principatus insignia obtinuit, & *S. Agathæ* insuper Marchio est renunciatus, ex quo & *Anna Spadafora* nullus extitit hæres. *Hieronymas* idcirco frater, Princeps evadens

dens cum Maria Corbera *Josephum* genuit, unde *Vincentius*, qui immaturo fato absque prole mundo exemptus, fratri *Cajetano* locum cedit. Hujus & Melchioræ Moneadę filius *Franciscus* cum Catharina Benfa *Josephum* genuit, qui post avum ob patris inrempeſtivam mortem m̄cccxxi. ſufficitur. Catharinæ Monroi hic copulatus *Francisco Paulo* auctus eſt ab anno m̄dcclv. *Militelli* Principatum aſſecuto. Aſſidet in publico Regni Conſilio loco xlii. gladii jure utitur, & Magiſtratum opidi deſignat.

MILUS Maſcalarum vicus vi. paſſ. m. inde circa occaſum diſſitus, in *Ætnæ* latere, cum Parochia S. *Andræ* Apoſtolo ſacra ſedet. Author Joannes Aragonius Infans, Randatii Dux, qui Majoris Eccleſiæ Catanenſis Prioratum eſſe juſſit; ubi ipſe ſepiſſime verſabatur, ac tandem mortem oppetiit; Catana enim, ubi lues graſſabatur, excedens, ea nihilominus correptus, fatum non evaſit. Conceſſit Monafterio S. *Mariæ Novæ Lucis*, tunc ſub Cartuſianis inſtitutis addiſto, Simon de Puteo Epicoſopus. Verum Guillelmus de Tolofa Abbas loci diſtantiam, atque amenitatem ab aſperrimæ vitæ ſtudiis alienam cauſſatus, illi renunciavit. Simon vero Præſul Presbytero Simoni de Nigroponte Randatienſi, uti Divino in ejus Eccleſia cultui intenderet. m̄cccxc. attribuit. In Epicoſopi porro literis *Eccleſia Aquæ de Milo* appellatur; Scatent enim copioſiſſimè ibidem frigidi, & puri lactices, quibus circumpoſitus ſubjectus ager irrigatur.

MIRALIUS Furiani amnis præcipuus fons ad Montis Soris radices, Fazello, & aliis memoratus.

MIRIÆ Opidulum in Mylenſi territorio, & leniter declivi ſolo, ad occaſum, & aquilonem cum dynaſtæ palatio in tumulo, recentis dicitur nominis, *Vincentio*

centio Rizzo authore, circa xvi. sæculi medium. Juris erat ager an: mccccxl. *Urſi de Grifalco*, cujus filiam *Joannes Andreas de Paſlis* uxorem duxit, cum *Miriarum* dote. Ad *Rizzios* ſubinde devenit, memoratque *Barberius Bernardinum*, ejuſque filium *Joannem Rizzo* circa MDXVI. *Miria* dominos. *Vincentius* ejuſdem gentis Baro erat mdc. *Joanna* genitor, quæ *N. Morra* nupſit, unde *Vicecomes Morra & Rizzo* Caſtri Rai obduſtam *Iſabellam* de *Joanniis*, etiam Princeps. Habes hujus ſucceſſores ubi de *Caſtro Rao*. Sunt *Miriarum* lares hodie 167. incolę 590. Sed elapſi ſæculi anno LII. foci 111. animæ 408. cenſæ ſunt. In *Mylarum* Comarchia, & *Meffaneniſi* Diœceſi venit, ejuſque dynaſtæ locus. in Comitiiſ tribuitur XIX. & omnimoda poteſtas. *Ædes* Parochialis *Deiparæ* in *Cælum* *Aſſumptæ* nomen refert, & *Curato* committitur cum binis aliis *Eccleſiis*. Ager moris, oletis, ac vitibus conſtitus fertilis audit. Latitudo & longitudo eadem ferme, ac *Mylarum*, ſub qua urbe haud procul ſedet.

MIRTIRUM *Cafale*. Vide *Myrtus*.

MISSANUM, aliis *Miſſarium*, *Savoçę* Municipium, declive ſolum propter fluenti alveum occupat, ſub *Cafali Veteri* ad ſeptentriones; Laribus conſtat 50. incolis 108. *Eccleſiam* habet, & *Archimandritæ* *Meffaneniſi* ſubest, qui dominus etiam eſt temporalis.

MISTRETTA *Vetutiſſima* Civitas, *Ameſtrata* olim, & *Mutiſtratum*, ſeu *Mytiſtratum* juxta *Cluverium*, qui illos arguit *Scriptores Mytiſtratum* opidum aliud eſſe ab *Ameſtrata* opinantes; cujus infra cenſiones examinabo; edito in colle ſedet, ſub monte, ubi *Mytiſtratum* olim ſtabat, cujus radiçes *Pitinæi* fluvius, ſive *Aleſus* allambit. Eſt igitur ſitus opidi hodiernus in plano collis vertice, magna ex parte,

&

& in ejusdem lateribus ad ortum, & occasum; Arx vero in aquilonem supercilium undique excisum occupat. Princeps templum S. Luciae Viri & Marti sacrum sub arce assurgit splendidum, quod, quum ruinam minaretur, Stephani de Muniera Episcopi opera, ere publico instauratum, amplioem in formam mdcxxx. restituitur. Unicum est parochiale sub Archiepresbyteri inspectione, cui animarum cura committitur, & Mansionariis viii. ad officia Divina celebranda instruitur; Minoribus denique Ecclesiis supra xxx. jura dat, quas inter S. Stephani, & S. Vincentii Prioratus olim titulo gaudebant, S. Mariae de Vacanti, Abbatia decoratur, Cephalædensi Canonico Capitulo hodie adnexa. S. Catharinae, cognomen adhuc de *Amastrata* retinet. S. Dominici Fratres intra pomerium aedes habebant, sed anno mdxxxviii paupertate pressi defecere. Minores Reformati in S. Mariae de Jesu degunt ad occidentem extremam opidi oram ab anno mdcx. Capuccinis ad iactum lapidis circa meridiem locus assignatur, & S. Mariae de Angelis vetus mdlxx. cessit Ecclesia. Monialium Ordinis S. Benedicti cum eleganti Deiparae de Auxiliis aede, fulget Cenobium. Puellarum, quae parentibus orbantur, Parthenon insuper videtur, & domus Hospitalis ad infirmorum levamen aperitur.

Mistretta regimen penes Juratos Patres iv. Criminum Quaestorem, Syndicum, & Judices residet; Sed Clero Episcopi Cephalædensis Vicarius praest. Demanialibus a saeculo xiv. accensetur, in publicis Comitibus xxxii. occupat sedem; titulo praeterea Imperialis in Regiis libris decoratur; Caput est Comarchiae; Aquilam pro tessera Crucem in pectore habentem effert, ac Militaris S. Philadelphi Praefecturae
pars

pars computata, equites III. pedites LXX. sub signis educit. Sub Carolo Cæsare *Mistretta* census cum municipiis larium 1196. mox circa sæculi exitum 1407. incolarum 5978. fuit. Anno MDCLII. lares 1561. cives vero 4271. numerati. Decurrentis anno XIII. foci 1500 descripti, incolæ 5474. qui novissimè ad 10184. excrevere. Jam Ager rei pecuarie aptissimus est adeo, uti passim primi in Sicilia pastores nostri *Mistrettenses* audiant. Segetibus insuper cujusque generis, vineis, oletis, moris, aliisque domesticis arboribus scatet; nihilque ad vitæ subsidia, aut commoda suis denegat. Fons in eo celebratur; Naphtæ oleum, seu bitumen aquis immixtum effundens; ejusque erant ditionis olim *Casipercis*, S. Stephani, & Regitani *Casalia*, quorum postrema hodie peculiare agnoscunt dominos; *Casipercis* vero in Friderici II. Regesto juris esse dicitur *Junctæ de Claromonte*.

Sub Rogerio Comite *Mistretta* cum Castello, ac integro territorio concessa legitur Monasterio SS. Trinitatis de Mileto, uti ejusdem Rescripto, ultimo vitæ suo anno MCI. constat, in quo S. Stephani Prioratus fit mentio, qui ex suffraganeis illius Cœnobii fuit, & ab Sicilia Regibus collatus deinceps legitur apud Pirrum. An S. Stephani de *Mistretta* Casale, de quo inferius, ab hoc Prioratu nomen habuerit, subdubito. Guillelmo I. Rege *Matthæus Bonellus*, ex primis Calabriae, & Siciliae Dynastis, ac satis in Anpalibus celebris, *Mistretta* dominus dicebatur, in qua Arenue se defendit, valide, ac munitè arcis præsidio. Regno ad Suevos devoluto, *Conradus de Antiochia* Friderici Antiochiæ Principis, ex Friderico Cæsare geniti, filius, obtinuit, cui *Petrus* ex Beatrice Lancea ortus est, Friderico Regi a Secretis, *Mistretta*, Regitani, Capiti, & Ceramis in ejusdem Principis Regesto circa
annum

annum mcccxx memoratus; Hunc *Fridericus II. de Antiochia* excepit, qui Serravallis, Guzzettæ, Castrimaris, Burgetti, Calatabellottæ, & Calatubi dominus etiam effulsit, ac Margaritam de Consulo, seu Anfulo nobilissimam foeminam uxorem habuit. Mox a Petro Rege cum suis mcccxxxvii. deficiens ad Gallos Neapolis Principes transit, ac bonis spoliatus, exul tandem occubuit. Hinc *Mistretta* Comitatus *Blasco de Alagona* Seniori Siciliae Magistro Justitiaro ejusdem Petri beneficio cessit, ex quo ad *Artalem* filium devenit.

Invegius in *Sicula Carthag*: fol: 329. *Mistretsam* *Manfredo de Claromonte* anno mcccclxv. *Friderici* Regis voluntate datam scribit, *Alagonam* vero *Paternionis*, & *Francavillæ* dynastias accepisse. At enim post *Artalem Blascum* juniorem susceptum lego Regni Bajulum, cui *Artalis* junior filius successit a *Martino I.* varias ob defectiones Sicilia exactus, extra quam vir meliori sorte dignus perit. Minus hinc veritati consonum est, quod *Pirrus* asserit, anno scilicet mcccclxxxviii. idem opidum juris fuisse *Francisci Vigintimillii*; *Artalis* enim tunc temporis in vivis agens, ex Siciliae Vicariis se *Mistretta* Comitem dicebat. Eo porro exauthorato, statuit *Martinus* nusquam deinceps ab immediato Regis dominio Comitatum divellere; sed legis suæ immemor concessit primum *Hugoni de Balbo*, mox anno mcccxcvi. *Jacobo de Campolo* pretio ab eo congruo recepto; *Franciscus* hinc *Vincibella* obtinuit, tandemque loco pignoris *Sancius Ruis Gallani* Vice-Comes habuit, qui in ejusdem *Martini* Censu Curia obnoxius dicitur mcccviii. ob *Gallani* Comitatum, tum pro terris, & Castris *Mistretta*, *Capitii*, & *Regitani*. *Sancii* heres

ab Alphonso Rege dinastiâ privatus dicitur, in Joannis idcirco Capitulis Alphonfi fratris, ac successoris de Regio Demanio *Mistretta* asseritur, in quo ad annum mdcxxxv. perduravit; Æris enim penuria ob diuturnum bellum quum Philippus Rex laboraret, *Gregorio Castello* Januensi una cum aliis opidis, nostrum vendidit. Cives autem post biennium, collata pecunia, & *Castello* persoluta, sese redemerunt. Supremi Consilii subinde decreto sanctum est, uti deinceps nullo umquam prætextu venum exponatur.

Viros illustres tulit: Jacobum Scadutum Sacerdotem sanctimoniam fama clarum, cujus meminit in *Idea* Cajetanus. In principe sacra æde Mistrettensi, ejus servari exuvias loco ab aliis discreto testatur Pirrus. Joannem Ordinis Capuccinorum, qui nostro hoc sæculo vixit, morum innocentia, singulari in Deiparam cultu, præclarisque aliis virtutibus insignis. Thomam Ordinis Prædicatorum, supremum in Sicilia de Rebus Fidei Quæsitorem; Jacobum Averfa Regium Ferdinandi II. Sacellanum, variis in Sicilia dignitatibus condecoratum, & S. Georgii de Gypso Abbatem. Paulum Arceri Ludovico de los Cameros Archiepiscopo Montis Regalis a Confessionibus, & illo translato ad Valentinam Ecclesiam, hujus Generalem Visitatorem, Canonicum Panormitanum, & S. Lucæ de Pithineo Abbatem. Josephum Gangutium S. Mariæ de Plano Capitii Abbatem, Mongitorio memoratum in *Bibliot: Sicula*, ubi etiam commendatur Thomas Averfa Poeta vernaculus excellens, qui Virgilii Æneidem Siculo rhytmo edidit, & alia ingenii sui monumenta Italico etiam carmine elucubravit. Floruit Didaci de Aragona familiaris, cum quo præcipuas Europæ urbes invisit, ubique ab eruditis viris magni actus.

Vetustæ

Vetustæ *Amestratæ*, sive *Mytistratæ* subrogatam *Mistrettam*, uti innui, Cluverius totus est ut ostendat. Textus enim Stephani, qui ait: *Mytistratum opidulum circa Carthaginem, uti author Polybius lib. 1. corruptus est. Vel ex isto loco, Cluverius tradit, manifeste apparet, quam imperiti sepe fuerint posterioris sæculi Grammatici, quidpe non modo Polybius, sed & Diodorus, atque Zonaras, disertissimis verbis Sicilia referunt opidum Mytistratum, quod a Carthaginensibus bello Punico primo possessum Aulus Atilius, & C. Sulpicius Romani Duces ceperunt.* Invegius, qui Caccabum olim Carthaginem appellatam affirmat, aliud ab *Mistretta* opidum prope Caccabum, *Mytistrati* nomine primus invexit, uti suæ opinioni patronum adscisceret. Non inficior: Stephanum alibi *Amestratum* opidum Siciliæ authore Apollodoro Chron: lib: iv. retulisse; sed quum etiam ex Philisto lib: x. *Mytiferatum* Castellum Siciliæ inducat, haud dubium, quod plures alias recenseret civitates, si diversos haberet authores, levi literculæ unius varietate opidum memorantes, uti assolet in aliis vocabulis. *Stephanus itaque grammaticus, concludit idem Cluverius, unius, ejusdemque loci nomen trifuriam formatum, ex tribus diversis sumpsit authoribus, quos nominat.* Cetero Polybii lib: 1. verba hæc sunt: *Captum & Mytistratum: locus natura munitus, & qui ideo obsidionem diu toleravit.* Diodorus etiam lib: xxiii. *Mytistratum tunc obsederant Romani, multasque ad hoc machinas fabricaverant; sed post menses vii. re infecta, inde abierunt, multis suorum amissis. Et paullo post: Mytistratum tertio obsessum tandem Romani ceperunt, opidumque solo æquarunt, superstites sub corona venditis.* De hac expugnatione fusius Zonaras tom. 2.

*Post hæc, quum Atilius Calatinus in Siciliam trajecisset, atque Mutistratum opidum a Floro obsessum inveniisset; copiis illius usus, quum mœnia oppugnaret, opidani principio quidem cum Carthaginensibus ei fortiter restiterunt; sed uxoribus, ac liberis lamentantibus, ommissa defensione, Carthaginensibus noctu digressis, primo diluculo portas ulro aperuerunt; Verum Romani ingressi nemini pepercerunt; donec Atilius pronunciari iussit, reliquam prædam, & corpora ejus fore, qui cepisset. Tum demum reliquis captis, urbem incenderunt. Refecta postmodum fuit, ac forte, ubi nunc sita; nam uti dixi, antiquæ urbis vestigia in proximo impendente colle spectantur; sed longe minoris ambitus; hinc opidulum, & castellum apud Stephanum dicitur; & Cicero in Verr: III. *Amestratinos homines tenues* appellat. Silius denique alibi citatus *Nomas & Amastram Tisse* parvi nominis opido adjungit. *Mistretta* latitudo, & longitudo parum ab xxxviii. distat; illa quippe v. minus, ista v. plus habet minuta.*

MOGASIUM ex Castri Regalis municipiis hodie pene desertum; sub Cafalis tamen vocabulo alteri Aquæ Ficarræ municipio proximum, hujus Parochiam agnoscit, atque ad aquilonem pass. m. II. & D. circiter distat a Castro.

MOJUS Opidulum ad Montis Ætnæ aquilonares situm radices, in amplissima amœna valle cum Parochia S. Mariæ de Gratia sacra, & altera minori Ecclesia in austrum sedet. Colunt opidani uti præcipuum Patronum Christum Dominum e Cruce pendentem, cujus honori die Dominica IV. Septembris solemne festum celebrant cum famigeratis tota regione nundinis, serici vel maxime, quod ingenti copia in ea provenit. Origine elapsum sæculum vix excedit,

cedit, circa cujus medium focos 136. incolas 416. numerabat, hodie ad 259. circiter redactos. Comarchia Randatiensi clauditur, & Messanæ Archiepiscopo subiectum est, qui ad animarum curam Sacerdotem designat. Olim *Moji* feudo *Thomas Tortoricus* potiebatur, in Regis Martini Censu memoratus, cujus hæredem & filiam *Rosanam Manfredus Lanca* uxorem habuit, unde *Blascus* mccccliii. Ex *Blasco Antonius*, qui an: mdii. successorem *Perruchium* cognovit. Excepit hunc *Franciscus*; quem *Petrus* mdlxxvi. *Palmerio* filio au-ctus. Genuit *Palmerius Franciscum*, cujus habes successores, ubi de *Malvagna*. *Moji* Baro in Comitibus locum occupat xxi. jure gladii gaudet, & *Malvagnæ* Princeps dicitur. Ager moros, vineas, oleas fert, & armentis, gregibusque nutriendis inservit. Consule *Malvagna*.

MOLA Opidum in arduo supra *Tauromenium* monte, undique præciso impositum, ex municipiis olim ejusdem urbis, ad *Regium* spectans *Demanium*, veluti castellum, in quo criminibus obnoxii relegati degebant, habebatur. Describit ejus situm *Fazellus* his verbis: *Ad verticem alpium, qui Tauromenio imminet, extat arx & opidulum Mola nomine, tota Sicilia notissimum, vetustum sane, & expugnatum difficilissimum, ac mœnibus circumseptum, cujus situs pene nullis etiam mœnibus roboratus, munitissimæ arcis vices tueatur. Circumquaque latera habet tutissima, vel ex eo, quod vicina ei loca in præceps labentia, nulli sunt subiecta.* Majoris Ecclesiæ tutelaris *S. Nicolaus*, cui altera subest, *Curati Sacerdotis* inspectioni commisse; sed singularis incolis *Patronus* est *S. Georgius Martyr*. Emit a Regiis Ministris cum amplo territorio, & Jure gladii mdcxxxvii. *Thomas Marullas* *Condaugustæ*

daugustæ Marchio, cui frater *Cæsar* successit. Hujus & Blandæ de Paëtis filius fuit *Franciscus*, ex quo *Cæsar*, qui sine liberis decessit; ad patruum idcirco *Placidum* MDCCXXII. dynastia devenit; eumque prole carentem sororis Eleonoræ filius *Placidus Castellus* Parci Princeps excepit, ex lue novissime sublatus; unde *Albarus Villacanis* ejusdem Eleonoræ nepos obtinuit, qui Principatus titulo *Molam* condecoratam MDCCCLVI. voluit. *Molæ* lares ex ultima recensio 145. incolæ 539. sed elapsi sæculi medio focos 190. cives 701. numerabat. Longitudo vix gradum xxxix. excedit, latitudo xxxvii. xl. contingit. *Molæ* Civis Dominicus Leo vulgatur, qui de Apostolico Tauro-
menii Episcopo Pancratio dissertationem scripsit, eamque erudita Apologia propugnavit.

MOLENDINORUM Caput, seu *Xiphonium* Promontorium Catanensis sinus australe latus definiens, ad Acis oram spectat. Turris specula S. Annæ illi prominet, de qua dictum.

MOLENDINUM Messanense municipium in meridiem laribus 68. incolis 281. conflatur. Parochialis ædes S. Nicolai Episcopi titulum refert. Urbis Senatui subest, a qua pass. m. vi. diffidet in mediterraneis.

MOLLIS CONFLATI Mons, ad cujus radices amnis Caroniæ sunt fontes, quem aliqui Alasum flumen esse affirmant. Montem Fazellus describit.

MONALIS Fluvius Ptolemæo memoratus, Maltus Aretio; aliis, & congruentius, Pollinæ. Ortum habet ad Nebrodis, seu Madoniæ ortivas radices, Acristiæ veteris opiduli, hodie excisi, fines aluebat, hinc sub Pollina cursum agens, ponte in augusta convalle trajicitur; Inter Finalem subinde & Thusam Tyrrheno mari illabatur. Pons in hac ora
olim

olim ejusdem ripas conjungebat; sed mutato cursu, aquis scilicet alio derivatis, ostio haud procul inde aperto, pons otiosus assurgit. In *Monalim* Hieracis amnis se exonerat; hyeme idcirco formidabilis circa littus ille evadit.

MONASTERIUM ALBUM Opidum supra Catanam in occasum, tumulo inhæret *iv. pass. m.* inde discreto, quem *Ætnæ* olim incendia agestis mobilibus efformarunt. Erat ex municipiis ejusdem urbis, sed anno *mdcxlii.* *Joanni Andree Massa*, pretium Regio ærario exsolventi, cessit, qui mox *Vespasianum Trigonam* ejusdem dominum, atque emptorem nominavit. Ex *Vespasiano Dominicus, & Franciscus*, ille improles decessit, alter *Catharinæ Trigonæ* copulatus *Petri Dominici* pater effectus est, qui *Caroli II.* privilegio Dux appellatus *mdclxxxv.* *Catanæ* ex terræmotus ruinis cum uxore *Agatha Brancifortia*, ac filiis mortem invenit. *Tullius* ejus patruus hinc dynastiam assecutus, *Mariæ Cajetanæ Borgia* sacris adstrictus vinculis *Dominicum* ex ea & *Luciam* tulit, quorum primus *Societati Jesu* nomen dedit; Hæc vero *Vespasianum Trigonam* *Hieracis* Baronem conjugem nacta, filium *Marium* illi peperit, hodie in vivis agentem, ac *Catanensis* *Patricii* munere decoratum; qui ingenio, morumque comitate egregie excultus, *Gratiam Grimaldam* conjugem habet, ex qua filios suscepit. *Majus* opidi templum sub *Virginis Mariæ de Gratia* auspiciis in centro sedet, cum præcipui Patroni *S. Antonii Abbatis* sacello. Hoc porro, ac minores *Ecclesiæ v. Episcopi Catanensis* *Vicarium* moderatorem recognoscunt. *Descripti* lares *904.* incolæ *3656.* anno *mdclii.* fuerunt; sed nostro hoc sæculo, postquam non levem ab *Ætnæ* incendio jacturam subiit, lares *484.*
animas

animas 1891. Census exhibuit; hodieque opidani 2361. computantur. Agro utitur amplissimo frugum feraci, ac vinetis, oletisque referto; adeo ut passim in eo Catanensium potiora prædia, concludantur. Veteris aquæductus Licodiani, quo ingens aquarum vis Catanam deducebatur, non exiguas reliquias in occidua, & meridiali ejusdem agri plaga videre est. Latitudo, ac longitudo, eadem pene, ac illa urbis Catanæ, cujus in comarchia etiam continetur. Habet Dux gladii potestatem omnimodam, & in publico Regni confessu xxvi. votum profert. Veteris opidi Ætne in incendio absumpti, turris campani æris supremus vertex vix inter agestos lapides videtur.

MONGI Fluvius, aliter *Moniuffus*. Vide infra.

MONGIBELLUS, Ætna, Mons montium in Sicilia. *Gibel* enim Sarracenice, uti alibi dixi, est mons; adeoque geminato veluti vocabulo exprimitur; vel quod amplitudine, & altitudine omnibus prætet, vel quod non sit, nisi montium cumulus.

MONIUFFUS Opidum, *Mongiuffi* Sicula voce, in Messanensi regione, circa mediterranea supra litus, duo inter promontoria Argenum nempe, seu S. Alexii, & Tauromenitanum. Marchionatus tesseram ab anno mdcxliii. refert, quo Philippi IV. privilegium *Josephus Barrile* obtinuit; ante id tempus enim ex Tauromenitanis erat municipiis. Parochia in eo Deiparæ Virgini addicta, Sacerdoti Curato ab Archiepiscopo Messanensi committitur, cum suffraganeis Ecclesiis v. Melia illius est vicus, unaque in censu computatur, qui elapsi sæculi anno xii. lares 315. incolas 1373. Decurrentis vero anno xiii. focos 385. opidanos 1439. & nuperrime 1721. exposuit. *Josephus* porro *Barrilis*, Messanensis olim Senator, de sua patria

patria optime meritis, ob plenissimam de ea historiam elucubratam, qui enunciato superius anno MDCXLIII. a Regio emit Procuratore, *Joanne Murio* filio auctus est, qui inter Magnæ Curie Consulares adscriptus enituit. *Joannis* successor *Thomas* ejus frater; hujus vero heres, & soror *Blanca, Pancratio Corvaje* conjugio copulata, quibus sine prole consumptis, *Franciscus Rao* obtinuit. Agrum possidet *Moniuffus* moris, ac oleis divitem; Tauromenii Comarchia clauditur, & latitudinis gradum xxxvii. l. longitudinis xxxix. habet. Marchio in Comitibus xxxiii. loco affidet, gladii potestatem in sua ditioe exercet, ac Magistratus deligit.

MONIUFFUS Fluvius, *Mongi* aliter, oritur circa opidum variis ex fontibus, brevique iii. pass. m. cursu peracto, in fretum se condit. Æstate pene siccus, hyeme facilis est trajectus.

MONPILERIS Opidulum olim sub Ætnæ monte, ejusque incendiis de anno MDCCLXIX. consumptum, atque ingenti lapidum mole obrutum. Deiparæ Annunciatæ sacra erat Parochia, & illius e marmore signum elegantissimum in ea videbatur; ut non minoris artificii, ac pulchritudinis annunciantis Angeli statua; Ad quorum inventionem diu, ac iterato industria vicinorum collocata fuit; Verum nonnisi alterum Virginis de Gratia simulacrum, sua quoque venustate præditum, anno MDCCLIV. nec sine prodigio integrum, post varios labores deprehensum, eductumque ex imo fuit, & in Ecclesia Ætnæis molibus inædificata locatum, ubi a populis eò accurrentibus in summa veneratione habetur. Videtis apud Massam in *Sitilie Prospectu* tom: 2. fusc de hac re peculiari narratione agentem fol: 229.

MONS' ALBANUS Opidum in edito monte, cujus radices ab ortu Oliveris fluvius allambit, veteribus Helicon appellatus, in meridiem extenditur, cum veteri arce supremum occupante, rupibus asperum jugum. Author Fridericus II. a Fazello vulgatur, qui & muro circumducto locum munivit. Sed enim Suevorum temporibus quum extaret, & Comitatus titulo gloriaretur Northmannis, potius origo tribuenda. Regias ibi ædes lapide quadrato conspicuas, a fundamentis Fridericus extruxit; eoque sæpissime, Raynaldi Villanovæ Medici clarissimi consilio, ad podagram levandam se conferens, propitium aerem, salubremque experiebatur. Arcis Ecclesiam ejusdem Villanovæ cineres servare idem Fazellus affirmat; celebratque opidum ab insigni canum statura, ac ferocia. Princeps templum S. Nicolao Episcopo dicatum arx excipit, quod Archipresbyter una cum aliis filialibus v. administrat. Minoritani Observantes sub S. Antonii de Patavio titulo, altero elapso sæculo fundati ameno situ gaudent. Divi Dominici ascetæ Sanctissimi Patriarchæ auspiciis Cœnobio non incelebri utuntur; quorum vetusta sunt initia. Pactensem comarchiam, Præfectumque ejusdem urbis militarem recognoscit. Messanæ Archiepiscopum pastorem habet, qui suas in opido vices commendat. Patronus est opidanis S. Joan: Baptista. Ducatus denique prærogativa Philippi III. rescripto ab anno mdcxxiii. decoratur. Dux autem mero, & mixto imperio, uti ajunt, fruitur, in Comitibus v. locum occupat, & deligendi Magistratum copia instruitur. Census fuit *Mons Albanus* sub Carolo V. laresque 361. protulit. Anno mdxlv. animas 2411. Sæculi elapsi pene medio focos 877. incolas 3391. Anno mdccxiii. lares 825. animas 2879. & nuper 2402.

Ejus

Ejus celebrat Civem Mongitorius Leonardum Saccorum patriæ Archipresbyterum S. T. Doctorem, qui in aliquot Psalmos Explanationem edidit. In Agro satis pingui, aquis irriguo, moris, oleis, aliisque fructiferis arboribus abunde instructo, fontem celebrant: Teronem, oleaginosos latices effundentem, qui cutaneis adhibiti morbis, curandi eos vim habent efficacissimam. Respondet opidi situs latitudinis gradui xxxviii. x. longitudinis vero xxxviii. xlv.

Montis Albani Comes Bonifacius Anglonus primus se offert, qui Constantiam Manfredi Regis filiam ad sponsum Petrum, Aragonensem Infantem, Mompilierim, ubi nuptiæ sunt celebratæ, mclcxii. deduxit. Hinc Fazelli mendum deprehendes, qui authorem opidi *Fridericum* ex Petro & Constantia ortum inducit. Tenuit Rex idem, muro, uti vidimus, munivit, ædesque suburbanas, ubi Heliconis amnis aquæ confluunt, constituit, post cujus mortem *Joannes* Infans, Randatii Dux opidi dominium est assecutus. Hunc excepit *Blascus de Alagono* senior, qui aliis, ac præcipuis in hac regione dynastiis dives, moriens filiis Artali Mistrettam, Joanni Nasum, Blasco *Montem Albanum* ex testamento attribuit. Circa hæc tempora Aloysius, Rex Neapolis; Messanæ agens, de insulæ nostræ rebus veluti dominus disponebat; hinc *Joanni Casareo Montem Albanum*, Nasum & Tripim concessit; Quæ sanè opida sub Alagonensium potestate erant, atque *Blasci* junioris obitu, *Artalis* filius *Monte Albano* potitus, eo nonnisi Martini Regis decreto, a quo desciverat, spoliatur. *Berengarius de Cruillas* ejusdem Principis dono accepit; Verum, ubi Calatabianum opidum, quod petierat, impetrasset, nostro valedixit; in ejus idcirco locum *Thomas Ro-*

manus Cefari Baro fufficitur, qui fidem fuam egregie Martino probaverat. Ex ejus fuffefforibus juxta Emmanuelẽ *Antoninus*, nam alibi lego *Fabritium*, unicam filiam, ac hæredem *Antoniam* reliquit, *Philippo Bonanno* Candicattinis domino fæculi xvi. exitum conjugio copulatam, unde *Jacobus* primus *Montis Ablani* Dux, de quo Tom. 2. part: 1. in Candicattinis notitia, ubi illos etiam laudavi ex *Jacobo* progenitos. Non hic omiferim ad gentem Lanceam *Montem Albanum* olim fpectaffe, atque ad Aragoniam ex veteribus monumentis eruere nonnullos, præter Cefaream, de qua dixi. Verum unde id certe proferam, non habeo.

MONS FORTIS Opidum Principatus inſignibus nobile, in collis latere fedet poſt jugum illud montium Meſſanenſi orientali oræ impendentium, ad longitudinis gradum xxxix. x. & latitudinis xxxviii. x. Subeſt hodie *Montecatiniſ*, quibus noviffime Caroli Sebaſtiani privilegio jus gladii confirmatum, quod opidani ſoluto pretio revendicare contendebant. Ad Parochiam ſpectat Meſſanenſem, Militiæ indigenæ Inſtructorii Paſtarum paret, ac Mylenſis Comarchiæ, pars dicitur. Arx in præceſſa rupe opido dominatur, & Fridericum II. authorem recognoſcit. Major Eccleſia S. Georgii auſpiciis aſſurgit, atque Archipreſbytero, curam animarum gerenti, commendatur, cum ſuffraganeis ſacris ædibus xx. Oratorium S. Philippi Nerii, quod in tumulo de Crispino, & Deiparæ Eccleſia ab Eremitis dudum culta, coaluit; ac S. Franciſci de Paula Cœnobium anno mdcxxiii. fundatum, decorem opido conciliant. Laribus hodie conſtat 314 incolis 2390. ſed hujus ſæculi anno xiii. noanſi 1130. cives numerati. Anno mdl. ſub Carolo V. cum adve-

xis casalibus focos 951. recensuit, & m̄xcv. illis minime computatis, animas 1783. exhibuit. Medio elapso sæculo larium numerus fuit 661. incolarum 1861. Præest Clero Archiepiscopi Vicarius, Patronam S. Agatham cives colunt; Magistratum civilem Principis nutu designatum populus recognoscit. Ager fecundus est, ac juxta regionis indolem moros, oleas, vites enutrit, pinguibus pascuis, oleribusque abundat; celebrantur vero omnis generis fructus, quos uberrime progignit. Stephanus Tuccius Soc: Jesu Sacerdos egregiis animi dotibus, summo ingenio, ac indole nobili ornatus, in sacris, profanisque literis versatissimus, Romę aliquando versatus, eruditorum omnium opinionem superavit; Sacras Tragædias, Orationes complures, de Theologia Tractatus, Chronicon Mundi, adversus Atheos Disputationes, aliaque innumera edidit, scripsit, compluribusque Authoribus celebratus idcirco, apud Mongitorium in *Sicula Bibliot:* citatis, Orbi literario innotuit, ac patriam decoravit.

Monfortis dominus *Bartholomæus de Luce* Northmannorum, ac Suevorum Principum ævo creditur; nam multa Cœnobiis ab se fundatis in ejusdem territorio attribuit prædia. Sub Aragonensibus juris fuit *Blasci de Alagona*; subindeque ejusdem filiis paruit. Contulit Martinus Rex post *Artalis Alagonæ* descensionem *Simoni Valguarneræ* m̄ccxcvii. hinc *Berengario Cruillas*, a cujus filio *Joanne* emit *Nicolaus Castagna*, Siciliæ Prorex, Messanæ Strategus. Hujus successores ad *Fridericum Polichinum* usque alibi recensui. Ex eo *Gaspar*, cujus unica filia *Agnes* opidum *Friderico de Moncada* conjugii in dotem assignavit. Fuit hic ex *Guillelmo Raymundo Adernionis* Comite progenitus, auctusque est filio *Guillelmo*, qui volente

lente *Agnete* matre, *Baltassari Saccano* & *Rubeo* dynastiam vendidit. Ex quo *Jacobus Maria*, factus *Victoria* pater, quæ *Petro Moncada* Calvarusi domino nuplit. *Joseph* ex his progenitus Comes S. Petri, & *Monfortis* Princeps mdcxxviii. evasit, tulitque ex *Flavia Monforte* uxore *Petrum*, qui cum *Teresia* de *Joanne Dominicum* habuit, unde *Petrus Annæ Mariæ Joppolæ* maritus, quem *Joannes Antonius* excepit, vir literarum peritia clarus; paucis ab hinc e vivis sublatus.

MONFORTIS Fluvius oritur ad collis radices, cui opidum cognomine incubat, Ramettq̄ fines alluit, ac in Mylensem sinum sese effundit.

MONTANEA REGALIS Opidum, Pactarum olim municipium; ejusdem Dioecesis, & Comarchiæ; Ducatus titulo insigne, supra eandem urbem septentrionem versus, sedet in colle, cujus præcipua Parochia sub Archipresbytero, S. Nicolai Episcopi nomini dicatur; altera vero S. Mariæ Annunciatæ suo etiam Parocho instructa, fovendæ incolarum pietati cum iv. aliis minoribus Ecclesiis infervit. Emit a Regiis Consularibus mdcxlii. *Joannes Ambrosius Scribanus* Januensis, qui mox *Ascanio Ansalonio* Supremo Italiæ apud Matritum Regenti cessit. Pactarum Princeps hic appellatus, & *Montanea* Dux, prole cauit, ac fratris filio *Antonino* dynastiam assignavit mdcxxxvi. ex quo *Petrus* & *Carolus*. Improles ille *Antoninum* Caroli filium successorem habuit, unde *Laurea* Antonii *Corvajæ* uxor, quos *Alphonsina* excepit, *Philippo Vianisi* copulata, post *Antonini Ansalonii* mortem *Montaneæ* Duci.

MONTES SORI collium juga in aquilonari Siciliae plaga, a S. Philadelpho ad Tortoricim extensa.

Vesti-

Vestiuntur cujusque generis arboribus, fontes uber-
rimos ad radices habent, & pascuis letissimis inu-
meros greges nutriunt. Fazellus eos putat Heræos
montes, Diodoro celebratos, de quibus dixi, uberes
utpote, atque amenitate præcipuos, quales Heræos
describunt.

MORABITI Vicus est Vallis Viridis sub Cam-
pi Floridi Principis potestate una cum aliis Acis o-
lim municipiis a Regia Curia emptus, & a gente
Morabita appellatus; Ejus Ecclesia Deiparæ Virgini
sacra in via occurrit publica, unde ad Acim S. An-
tonium est iter.

MORTILLÆ Caput est septentrionalis oræ post
Raysculum promontorium. Vide *Myrtorum Caput*.

MOTTA AFFERMI, olim de *Sparto*, Opidum cum
arce arduo situm loco; Nam *Motta* Punicis id intel-
ligitur. *Affermi* vero, ab antiquo, ac æque nobili
arcis domino dicta est, *Mutio Affermo*, Martini Re-
gis ævo, cui filius *Joannes* subrogatus, *Joanni Jacobo*
Albomonte de Affermo locum cessit. Ex eo *Joannes*
Albomonte, dictus *Miraguerra*, unde *Antonius* prodiit
MDIII. Sæculi ejusdem anno LVII. *Vincentius Bonajuto*
obtinuit, post quem *Blascus Isfar & Corillas* suffe-
ctus est; Alios deinde agnovit dominos *Motta*, *Mat-*
thæum Puteum, *Gasparem Bonajutum*, a quo emit
Modestus Gambacurta Italiæ Regens, aliisque pri-
mariis muniis clarus, ac *Philippi III.* privilegio Mar-
chio constituitur; quem filius *Marius* excepit, Pa-
normi Prætor ac Regni III. Vir; Devenitque demum
sub dominio Rectorum Montis Pietatis Panormitani,
uti *Modestus* mandaverat, a quo *Gregorius Castellus*
Galiani Comes MDCXXIII. emit. Sacris hic vinculis
Perottæ Æniliæ Clerici adjunctus *Lancellottum*, &
Ca-

Carolus Hieronymum tulit, & primo Galianum, alteri *Mottam* ultimis tabulis reliquit. Ex *Carolo* atque *Æmia* Castello ac Ricci *Gabriel*, unde *Carolus Hieronymus II.* Josephus, & alii. Hic Cephalaëdensis fulget Episcopus, ex *Carolo*, qui Turris Mutii, & Castri Ferrati Princeps, Capitii, & Galiani Comes evasit, *Gabriel Lancellottus* prodiit, hodie in vivis agens, & Orbi literario notus, de quo alibi. Sedet *Mottæ* Marchio in publico Regni Consilio loco XIX.

Incumbit igitur, uti dixi, opidum collis prærupto, ac scopuloso clivo, atque arce superbit præcelsa & munita. Vetus templum S. Mariæ de Angelis titulo, cum alio S. Rocchi sub arce sito alternatim parochialia, ac præcipua in opido munia exercet; Sacerdotesque Curati III. & ipsi alternis mensibus præfunt, ac filialibus Ecclesiis XII. jura dant, quas inter S. Sebastiani splendet opidanorum Patroni. Clarissimum Monasterium S. Francisci nomine pauper Pirro vulgatur. S. Mariæ de *Sparto* Cœnobium, Monachis hodie destitutum, Abbati per Marchiones electo, & ab Episcopo diocesano instituto administrandum committitur, in cujus Ecclesia Deiparæ Annunciatæ devotissima e marmore statua colitur. Ab hac porro sacra eade, & Cœnobio, feudoque cognomine, *Motta* olim fuit vocata, cujus feudi in Friderici II. Censu fit mentio. Barberius aliunde in Capibrevio de *Sparto*, & de *Affermo Mottam* appellat. Ejus debebant opidani 670. Sæculo XVI. in laribus 285. Sequentis sæculi anno LIII. foci erant 127. animæ 896. Nostri hujus decurrentis anno XIII. lares 309. incolæ 1029. & novissime 1876. Militari Mistrettæ Præfectura, & Comarchia computantur, ac Cephalaëdensi Episcopo

po parent . In aquilonari plaga ad xxxviii. longitudinis , ac latitudinis gradum *Motta* posita, agro utitur feracissimo , oletis vel maxime opimo, pascuis , frugibus , ac oleribus non ingrato .

MOTTA S. ANASTASIÆ opidulum cum arce, Siculis in annalibus celebri, excelsæ altissimæ rupi in ortum insidente , pass. m. v. Catana diffidet, ejusque amplissimo agro, qui sub vulgari *Plana* nomine venit, circa occidentalem plagam dominatur. Ab æde sacra majori dictum est, sub arce æquali solo imposita , quæ unica parochialis tres habet subditas minores ; sed originis antiquæ creditur, uti inscripti Græcis characteribus lapides innuunt, quos in Notis ad Fazellum vulgavi. Instaurata porro Turris passim traditur ab Rogerio Siciliae Comite, qui Catanensi Episcopo in dotem assignavit ; hujus enim sub clientela anno mclxvii. adhuc erat, mox vero sub censu annuo *Henrico Rubeo* cessit, quo deficiente *Raynaldus Perollus* obtinuit; hinc sub Martino *Sancius Ruis de Lihori*, ob illatas Bernardo de Caprera in hac ipsa arce gravissimas injurias, sat notus. Ex hujus hæredibus proceres de *Moncada* soluto pretio acceperunt, unde hodie Ferrandinæ Duces proveniunt, de quibus alibi dictum . Laribus sub Carolo V. Cæsare censebatur 140. incolis circa sæculi finem 570. Anno mclii. lares 151. animas 563. nostra ætate focos 225. incolas 949. Diocesis & Comarchiæ Catanensis pars est ; & Agyrensi Militari Præfecto subest. Ejus ager amplissimus, frugum cujusque generis fertilis audit ; vinum generosum , ac præcipuum gignit, pinguis pascua gregibus ministrat, oletis demum abundat. Respondet adamussim Catanensi latitudini , habetque xxxviii. xl. longitudinis . Ejus denique Dynasta in Comitibus v. profert votum .

MOTTA CAMASTRÆ Opidum, & Arx in clivo collis undique prærupti, ac difficilis ascensus, Francavillæ imminet, a qua appellatum tradunt, nam olim Francavilla *Camastrea* nomen tulisse creditur. Aë ea autem torrentis, seu amnis Onobalæ alveo discernitur, qui collis radices abluit. Parochiale templum Archangelo Michaeli sacrum, sub Archipresbyteri cura; qui & aliis iv. Ecclesiis minoribus præficitur. Messanensis Archiepiscopi Diœcesim, Linguæ-grossæ Comarchiam, & Tauromenitanum Militiæ Instructorem recognoscit. Marchionatus titulo ab anno mdcxxx. gaudet, sed in publico Regni Consilio ejus dominus loco lxxix. inter Barones assidet; sub clientela denique *Herculis Brancifortii* Scordiæ Principis hodie degit. Primis enim Aragonensium Principum temporibus *Rogerium Lauriam* Siciliæ Amiratam cum Francavilla dominum habuit, eoque deficiente, *Garsias Perez de Linquida* mcccxcviii. Friderici Regis dono illud accepit, qui cessit agro de *Ciphalis* in Catanensi regione, de jure Ecclesiæ, ipsi ab eodem Friderico assignato; Huic filius *Petrus* successit in ejusdem Principis Regesto adnotatus. Ex eo *Constantia Joanni de Axone* nupta, unde *Petrus Axonus*, & *Linquida* mcccxcix. a Martino Rege confirmatus.

Fertur autem de *Joanne*, quod, quum ab officiis defecisset, in eum opidani irruentes, sedem confecerunt, ac Regio *Demanio* adscribi postularunt; Annuuit Martinus, & Messanensi Senatui Arcis curam commisit; Verum *Petrus Joannis* filius in gratiam receptus ad patris jura rediit. Ex *Petro Antonius*, hunc *Catharina* filia, & hæres excepit, *Antonio Sar-do* uxor assignata mccccliii. Tenuere *Sardii* ad mdlx. Christi annum, quo *Nicolai Andreæ* filia *Isabella* *Sarda*

Sarda N. Lancea, sibi desponsato, *Mottam Camastra* ex dote contulit. Anno mdcxxix. Regius Procurator *Josepho Romeo*, ere accepto opidum attribuit, qui *Marchionis* insignibus auctus, dynastiam mox amisit, *Antonino Martiano* adjudicatam. Ex eo *Joanna Morra* nepos; unde dotis nomine *Hercules Brancifortius* obtinuit, *Scordiae* Princeps, alibi laudatus. Lares sub *Carolo Cæsare* 383. computati, animæ sub annum mdcxcv. descriptæ 817. Sequentis sæculi medio lares 431. incolæ 1711. Anno mcccxiii. focos 363. incolas 1378. & novissimè 1476. in censu exhibuit. Latitudo a gradu xxxviii. longitudo ab xxxix. minutis v. vix decidit.

MUCCOLINI Scopuli in orientali *Acis* littore, contra *Aquarum Grandium* fontes, sub excelso colle rupibus aspero, cui civitas illa infidet, ingenti copia emergentium. Aquas hæc credunt passim *Acis* fluminis esse, veteribus celebratas; obrutum quippe *Ætnæis* lapidibus illud quum fuisset, uti ajunt, exitum hoc in loco sibi quærere affirmant. Verum alibi *Acis* flumen erumpere, superius ostendi.

MURGIUNI, *Opiduli Vallis Viridis* vicus, atque ad ejus *Parochiam* spectans, in via, quæ ad *S. Gregorium* & *S. Joannem* ducit, occurrens.

MUSARRA Rupes ingens in *Ætnæ* monte, ad austrum, sub vertice supremo, cui vallis immanis olim subjecta, igneis molibus, quas e summo ore sepiissime patres nostri, & nos elapso etiam nuper anno vidimus erumpere, pene equata, hodie perspicitur.

MUSUMECIS Vicus est *Civitatis Acis*, *Fazello* & *Pirro* memoratus, a gente cognomine, quæ primùm ibi sedem statuit, appellatus, uti de aliis dixi.

MUTISTRATUM Vetus *Opidum*. Vide *Amsbrata* & *Mistretta*.

MYCONIUS Mons Appiano *Bell. Civil. lib: 5.* memoratus. Vertex dicitur a Cluverio in Pelori montis jugis, sinistra parte viæ, qua Mylis itur, forte, ubi hodie *Calvarus*.

MYLÆ Civitas, vulgo *Milatium*, Veteribus cum historicis, tum poetis notissima, una, uti Fazellus scribit, *ex maritimis Siciliae arcibus situ, & arte munitissima*; isthmum occupat peninsulæ, quæ nunc *Caput Milatii* appellatur, ac trifariam dividitur. Pars enim una in colle editiori *Civitas Murata*; Altera ad littus usque per ejusdem collis declive ad austrum extensa, *Suburbium*, longe quam prima frequentior; Tertia æquo solo propter portus ortivam oram assurgit, & *Civitas Nova* dicitur. Eminent itaque rupi imposita *Arx Regia* validè firmata, atque expugnatu difficilis; sub qua *Major Ecclesia Deiparæ in Cælum Assumptæ* sacra, fabricis conspicua, tholo, & fronte ad omnem magnificentiam exulta; *Quam* ære suo, veteri *S. Nicolai* neglecta, *Blasius Protus Messanensis Antistes* MDCXLII. circiter jussit, perfectamque voluit, antequam ibi mortem oppeteret. Huic, area interposita, *publici Consilii Basilica* respondet, necnon privatæ aliquot nobilium ædes, & *Militaris præsidii Nosocomium*, quod erat dudum *Sanctimonialium Cœnobium*. Muris hæc omnia concluduntur, quos propugnacula de *S. Maria*, ac de *Insulis nuncupata*, *Ducum Montis Leonis*, & *Ferriæ*, *Proregum* mandato ad meridiem instruunt, & unica concamerata porta munitiores reddit, quæ ferratis valvis ex alto demissis clauditur. Succeedunt in montis australi latere, hinc *militum Stativa* undique menibus, & cooperta via vallata, cum porta eleganti, olim ab *Jacobo Rege* dicta; illinc *civium domus*, compluresque *Ecclesiæ*, & *ascetarum claustra* ad maris oram, ubi menibus,

nibus, propugnaculis, portis, variisque operibus urbis securitati consulitur; Sub Stativis denique Civitas nova, ab austro, & occidente menibus item, & propugnaculis oblecta, planis, & amplis viis, portis, foris ornat; fluctibus ab ortu percussa, cum S. Erasmi præfesto munimine, vulgo S. Elmi ad tutelam, & mole portus ad navium commodum in interno angulo, paucis ab hinc constituta.

Sed singula expendamus: Parochiales binæ sunt ædes Jesus & Maria vetus, a muris australibus haud procul in suburbio; & S. Jacobi in nova urbe satis elegans, ac concinna, littori imminens, quæ Sacerdotibus Curatis commendantur; solus enim est Parochus in præcipuo templo, Archipresbyter, cui animarum sollicitudo commissa. S. Dominici Conventus statim sub urbe murata occurrit, latus, nobilis, ac vetustus, scientiarum studiis sui Ordinis alumnis destinatus, cum eadem sacra, eximia, ac splendida. Nec inde procul S. Salvatoris Benedictinum sacrarum Virginum parthenonem, nostrum hoc ævum constructum vidit, ex urbe murata translatum. Ibi Carmelitæ Excalceati, aliter Terefiani degebant, quibus recedentibus, locus Monialibus concessus, egregiè concinnatur. Paulenses ipsomet Patriarcha Sanctissimo ordinante, anno mcccclxxiv. coaluere in tumulo prope Stativa, supra S. Januarii portam. Ostenduntur puteus prodigiöse ab illo dulcissimis aquis eductis, salutaris, hodie vero sale infectus; moles lapidum impendentes, ac trabs in Ecclesiæ recto producta. Minoribus Capuccinis ad ortum celebris locus ab an: MDLXXX. supra oram portus contingit; Sacra ædes Deiparæ Angelorum titulo insignitur, ejusdemque Virginis religiosissimam iconem servat. Munimentum subjectum ab iisdem fratribus appellatum,

Fortis

Fortis nomine, portæ adjungitur *Maris*, unde ad promontorium est iter. Portæ autem de *Mari* ex *Fazello*, veteris muri fragmentum adhæret, unde antiquæ urbis amplitudinem ille colligit. Hospitalis domus, ad agrorum commodum aperta, sequitur, a qua non longe propugnaculum Lunatum. Minores aliæ demum seu filiales Suburbii Ecclesiæ viii. recensentur, eminentque inter illas S. Mariæ de Catena cum tholo.

Novæ Civitatis exornant ambitum: Celebre ac dives Carmelitarum Cœnobium præ littore, ædificiis ad omnem magnificentiam, ac liceo instructum, cujus author S. Albertus, idemque hodie tutelaris; ejus hinc puteus dulces habens latices, proximi maris falsedine minime infectos laudatur, & in Ecclesiæ foro fons e marmore elegantissimus spectandum se præbet; S. Philippi Nerii quoque Oratorium, Jesus, & Mariæ Novæ titulo, pene in centro, paucis ab hinc fundatum; S. Catharinæ item Vir: & Mar: Ecclesia, in qua ejusdem e marmore signum egregii artificii & venustatis; ac tres aliæ minores. Urbis denique albi Ligustici lapidis nobile simulacrum, inter S. Jacobi Parochiam, de qua dixi, & portus molem subrigitur, sub qua perennis aquæ fontes emanant. Extra portam Panormitanam contra Militum Stativa Minoritarum Reformatorum S. Stapini Cœnobium, elapsi sæculi anno xvii. coaluit, ab occiduo isthmi littore haud procul, quod spectatu non indignum. Jam in septentriones, & occidentem aggeres ad tutelam insuper videntur, aliaque militaria opera, quibus longe validius robur arci accedit; ad ortum autem æstivum duo præterea propugnacula, veluti turres speculæ perstant. Memorat *Fazellus* *Fridericum* II. peninsulæ, seu *Chersonesi* isthmum perrumpere tentasse; idque apertissimo o
judicio

indicio excavatas profundas, & latas etiam fossas perdurantes ejus adhuc diebus ostendere; nec non ingentis crassitudinis murum, ad plures passus protractum demonstrare, cum Friderici, ejusdem incepti operis authoris, nomine, ibidem expresso. Monumenta hujusmodi nostris hisce diebus extra Civitatem Novam apparent. Subdit vero idem historicus: *Non nihil inter Regis Jacobi portam, distans a mari xx. circiter passus puteus est perennis, & adeo semper exundans, uti vel numerosissima cuiusvis classis Regiæ aquas præbeat affluentissimè.* Hanc Regis Jacobi portam vocant hodie a Stativis. Puteus vero ille celebris hortis irrigandis infervit, & latices sub Mylarum statua in litore ministrat. *Portum præterea habet:* prosequitur Fazellus, & insignem; & navium capacissimum, de quo Scylax, Diodorus, & Appianus vetustissimi Scriptores; Silius autem Poeta lib: 14. *infidum fugientibus subsidium* appellat. Cæciæ enim flatibus, uti alibi dixi, obnoxius est, Cluverio idcirco potius ingens *Statio navium* ad orientale peninsulae latus dicitur. Hæc porro peninsula *Aurea Chersonesus, & Solis Insula* Veteribus appellatur, uti Vigintimilius de *Siculis Poetis*, & Valguarnera scribunt, vel quod etiam ibi Solis Boves pascerentur; vel quod fontes perennes habeat, ac variis delitiis abundet, uti paullo infra de ea loquendo, fusius expendam.

Ad Urbem me refero, cui in publicis libris *Fidelis* titulus datur; estque Aquila expensis alis, maris undis insidens; vetus stemma. Magistratus ex Decurionibus IV. & Syndico, qui togis utuntur, ac Maleficiorum Quæsitore conflitur, & locum in Comitibus xxxviii. occupat. Præsidet Militibus, & jura etiam dat civibus *suprema Gubernator*, uti appellant, ex
Regii

Regii exercitus primariis Ducibus adlectus. Episcopalem honorem olim *Mylas* tulisse tradunt, quod in vi. Synodo Constan: sub Agathone Pontif. *Milana Ecclesia, Provincia Sicilia, Joannes* Episcopum se subscribit. At Rogerius amplis finibus Troynensis, indeque Messanensis Diocesis *Milatium* conclusit, sub qua degit hodie, Vicario, & Visitatore ab Episcopo designatis.

Caput est autem Comarchiæ, amplissimoque gaudet agro, qui *Plana Milatii* nomine vulgo venit, & ob fecunditatem inter primos regionis habetur; Vineis enim, oleis, moris ubertissime confitus, villis frequens, & civium suburbanis; pascuis denique aptissimus, nec frugibus ingratus audit. Hinc Homerus ibi *Solis Boves*, ait *stabulari* Odiss. xii. Theophrastus *His. Plan: lib:8. cap:3. Mylarum regionem vehementer esse fertilem* scribit, *adeo uti xxx. reddere choas valeat* (Est choa liquidorum mensura, Romanum capiens congium, sive sextarios sex) *Pascua item omnem habere miranda*. Fazellus denique: *Ager Mylensis planus, frumenti, vini, olei, & pabuli feracissimus est, ubi Solis Boves pascebantur*. Addit ex Plinio lib: 31. cap: 4. in eodem *Mylensi* agro, hyeme fontes prorsus arefcere, ætate vero ita exundare, ut amnem conficiant, idque circa occidentalem plagam statim post Panormi, & Messanæ portas. Tanta est porro aquarum copia, ut molis convolvendis apta habeatur. Hyeme porro non nisi ex vicinis fontibus aquis corrivatis, ad opus sufficiant. Juxta lacum rursus, quem Pantanum appellant a *Myliis* pass. m. ii. Messanam versus recedentem puteus est, Divæ Mariæ a Plana, & a Buschetto appellatæ propinquus, qui per hyemem totus exiccatur, per ætatem vero aquis abundat.

dat. Quod lacus hic ille sit Cajetano memoratus in Isagoge, aquas frigidas, & calidas habens, quarum tamen memoria extat nulla, non temere subdubito. Thermales coeterò aquas, sive sulphureas in eodem *Mylensi* agro a Venere appellatas celebrat Aretius; & quamvis sub hoc nomine Philippus Amicus nullas recognoscat; manant tamen hodie prope sacram ædem B. Mariæ de Thermis, aquæ sulphuræ, ac non pauca extant ædificiorum vestigia ad Thermas fortasse spectantia. Nundinæ ibi celebres sunt mense Septembri.

De Artemisio Opidulo, & Dianæ Fano, ejusdem agri jam dixi. Pagi hodie perseverant duo cum Parochiis S. Mariæ de Gratia, & S. Marinæ Mylensi Archipresbytero ~~subjectis~~, quorum regimen civile ad urbis spectat Magistratum. De Mela flumine actum etiam supra. De Nauloco Statione inferius. Interim de Origine urbis, ejusque incrementis pauca per compendium edisseram: *Mylarum* nomen a Græco vocabulo *Mylax*, quod *Ingens saxum* significat, deductum non incongrue, adstruunt. A *Mela* enim proximo flumine perperam Fazellus desumit. Mitto hic fabulas, quæ ex Orophone vulgantur. Quod attinet ad urbis originem, Strabo lib: 6. ubi Himeram opus esse, ait Zancleorum, qui *Mylas* habitabant, minime videtur certo certius asserere, illos *Mylas* condidisse; potuit enim ante Zancleos urbs extare, ab iisque subinde, deducta colonia, frequentari. Marcianus, sive Scimnus Chienfis Græcanicas Siciliæ urbes recensendo, ab Naxo Siciliæ, & Chalcidensibus illius authoribus, Zancleam, Catanam, Callipolim, Leontinos accepisse colonias tradit: subindeque Eubæam & *Mylas* eodem ferme tempore conditas. Atenim uti Catana, Zancle, Leontini, antequam Chalcidenses in Siciliam adve-

nissent, perstabant; *Mylæ* pariformiter, atque Eubæa vetustiore fortasse originem habuere, Zancleosque colonos exceperunt. Quod Messanensium Castellum Diodoro, Thucydidi, & aliis *Mylæ* idcirco dicantur, infert: Messanenses sibi *Mylas* vindicasse, minime vero illarum authores Zancleos, quibus Messenii successerunt, fuisse. Quum enim munitissimus sit locus, facile a potentiori populo, ac vicino occupari potuit, ac sub ejus ditione diu retineri. Thucydides lib: 3. *Charæde Atheniensium Duce ab Syracusanis in bello occiso, summa navium præfectura ad Lachetem devenit. Is cum sociis profectus est Mylas Messanensium, ubi erant præsidio duæ Messanenses tribus. Quæ quum insidias quasdam Classariis tetendissent, ab Atheniensibus, & horum sociis in fugam versi, multos e suis amiserunt; admotisque admunitionem copiis, partionem facere coacti sunt, ut dedita arce, adversus Messanam una militarent.* Id ipsum fufius Diodorus lib: 12. Athenienses v. navibus *Loerenfium captis, Mylas Messanensium Castellum obsident. Quumque Siculi finitimi auxilio Mylenfibus venirent, confertur pugna, in qua superiores Athenienses m. hostium & amplius cédunt, nec pauciores dc. capiunt; Mox etiam castello per vim expugnato, potiuntur.*

Sub Dionysio, qui Naxum exciderat, & Catanam vexabat; eodem Diodoro teste, Rhegini contra illum conjurantes, exactos ab eo, aliosque ipsi adversantes in tutelam suam suscipiunt; postea Naxiorum & Catanensium reliquiis *Mylas* incolendas tradunt, & contra Messanenses Dionysii socios ducunt; initoque conflictu vincuntur. *Hinc e vestigio Mylas Messanenses aggressi, urbem capiunt. Naxios inibi collocatos,*

*atos, data fide incolumes dimittunt. Agathocles sub-
 ande Messanenſibus infeſtus, ubi occupandi illorum
 urbem ſpe fruſtratum ſe vidit, fretum tranſgreſſus,
 Mylas claſſe appellens, pactis conditionibus, Caſtro
 potitur, ex laudato Diodoro lib: 19. quod non diu
 pace cum Meſſanenſibus firmata, liberum dimiſit. Nec
 ſecus Hiero II. quum contra Mamertinos aciem du-
 ceret, hoſtibus deceptis, qui ad Tauromenium illi
 occurrerant, per montana progreſſus, Mylas MD. mili-
 tum præſidio munitas, improvifo adortus, ad dedi-
 tionem compulſit; nec niſi Romanis tandem reſtituit.
 Seris temporibus arx belli, ac præcipua ſedes Sex: Pom-
 peji Mylae adverſus Auguſtum fuere, & clade navali,
 quam Pompejus ab Auguſto ad ejus portum accepit, no-
 bilitate. *Navali prælio*, inquit Dio lib: 48. *apud Mylas
 ductu Agrippæ pugnatum proſpere*. Appianus vero lib: 5.
*Mylas etiam tum, & omnem hinc ad Naulochos & Pe-
 loriadem oram maritimam tenebant Pompeji præſidia,
 Fauces quoque utraſque cum Tauromenitanas, tum
 Mylenſes Pompejus occuparat; Caſaremque a Tynda-
 ride adventantem infeſtabat. Quum vero Agrippam
 adpulſurum crederet, ad Pelorum tranſcurrit, deſertis
 faucibus Mylenſibus, quos mox Caſar occupavit una
 cum ipſis Mylis, & Fano Diana. Hæc de Mylis apud
 veteres occurrunt, uti licuit colligere.**

De primo Religionis Chriſtianæ ingreſſu certi
 aliquid conſtitui nequit. Plurium SS. Martyrum My-
 lenſium memoria in Meſſanenſi Eccleſia viget hodie;
 quæ manifeſte evincit, noſtræ civitati non ignotam
 illam tunc maxime fuiſſe, quum Romanorum Princi-
 pum rabies in Chriſti aſſeclas debaccabatur. Me-
 minit horum Martyrum Cajetanus, ac ſub Tertullo
 paſſos ex veteribus monumentis eruit. Quod fuerit

in ea Episcopalis sedes circa sæculum VIII. constituta jam superius innui. A Gothis porro pessime habita, & Sarracenis in vastitatem redacta, vix tandem Northmannis authoribus instaurari, ejusque arx muniri de novo cepit. Incrementa subinde nec vulgaria sub Jacobo, & Friderico suscepit, quorum extant adhuc perennes memoriæ, uti vidimus. In ejusdem Friderici Censu nihilominus circa annum MCCCXX. *Ferrarius de Abbellis Agyrii, Mylarum, & Oliverii* dominus renunciatur. Andegavensibus aliquando, Nicolai de Cesareo opera, qui illis favebat, paruit; ejus tamen civium fidelitatem Ludovicus Rex suis litteris commendat, quod jacturam omnem potius, quam jugum alienum subire voluerint. Circa hæc tempora *Civitatis Novæ* initia consignantur. Altero vero sæculo Alphonsi Regis jussu, novis munimentis Arx, Suburbium, eademque Nova Civitas firmantur. Anno MDC LXXIV. Caroli II. beneficio omnimodam gladii potestatem *Mylensis* Magistratus obtinuit ob operam egregie navatam, quum regio universa belli Gallici turbinibus exagitaretur. Nostro hoc sæculo Senatus prerogativa idem donatur, ac aliis privilegiis afficitur, quibus tamen hodie destitutus. Sedes enim belli inter Hispanos, Germanosque quum *Milatium* fuisset, ingentem ipsius ager passus est ruinam, ac vastitatem, & ipsa Nova Civitas labefactata jacturæ patuit; Germanique Regni potentes effecti, damna civibus compensare variis privilegiis voluerunt.

Mylarum Census sæculo XVI. lares 931. incolas 8836. protulit. Sequentis medio lares 1206. animas 5284. Anno MDCXIII. foci 1445. cives 5869. descripti, qui nuperrime 6121. Cultum exhibent hi singularem S. Stephano Protomartyri, ac veluti Patromum

num in Majori Ecclesia summa pietate venerantur. Gradus longitudinis est xxxix. latitudinis est xxxviii. xx. Illustres viri Joannes Villanus Ordinis Minimorum, vitæ innocentia clarus; Matrili obiit. Joannes alter ejusdem quoque instituti a morum puritate commendatus, ex primis Sociis S. Francisci de Paula, cujus vitam exaravit; uti Launovius, Magiolus, & Mongitore testantur. Panormi in S. Olivæ Cœnobio piissime decessit. De his Cajetanus in Idea. Franciscus Flacconius Sacerdos doctrina, eruditione, ac poetica laude præsertim Latina insignis, Petri Ruiz Archiepiscopi Messanensis vicarias gessit curas in tota Diœcesi; Messanæ vitam commutavit mdcxxii. Ejusdem familiæ Joannes Petrus Musices peritissimus, in Catholici Regis Sacello cantus moderator. Duci Sabaudia acceptissimus, ejusque eleemosynarius constitutus; Cantiones edidit apprime commendatas. Franciscus Baeli gente patritia ortus, insignis Mathematicus, Poesi & oratoria arte etiam valuit. Europam universam pene per annos xx. obivit, ubique viris Principibus, Magnatibus, & ipsis Regibus carus. Decessit in patria, ediditque prosa & versu complura opuscula. Cæsar Columna Romanus, Poeta eximius, Romæ, ubi diu vixit, præcipuis accensus Academiis, Urbano VIII. Pont: Max: aliisque principibus viris, ac eruditis notissimus; ex libris demum in lucem emissis celebratus. Franciscus Caffarellus, Minimorum instituti assecla, summus Mathematicus, ac unus pro anni correctione Gregorii XIII. jussu, cæteros inter Professores adhibitus. Tabulam de ea cum orbe literario communicavit, ac alia typis Venetis parabat; Morte enim interpellatus imperfecta reliquit. Franciscus Maria Pisanus Juris-Consultus celeberrimus,

mus, post gesta apud suos præcipua munia, Panormi
causarum Patronum summa cum gloria egit, atque
ingenii monumenta vulgavit. Laurentius ejus frater
germanus, Ordinis Prædicatorum, doctrina omnigena
excultissimus claruit, ac morum integritate excelluit.
Suorum studiis præfuit, fatoque immaturo Panormi
sublatus est. Scripsit *de Electione Canonica*, *de Sum:
Pont: Potestate*, *Gladium Gedeonis*, aliaque inedita
reliquit. Salvator Pisanus iisdem cum Francisco, &
Laurentio parentibus ortus, & VII. in ordine non in-
terrupto virilis sexus filius, Cæsarei juris, & Pontificii
egregius professor, in supremis Siciliæ subfelliis felici
ut plurimum exitu causas propugnavit; Prætorii & M. C.
Judex effulsit, tandemque Fiscus Patrocinium habuit
a Rege delegatum, quo in supremo munere fatis con-
cessit. Raymundus Protus, Cajetanus de Martino, Jo-
sephus Perronus Concionatores illustres; Cajetanus
Busacca, Musices peritissimus, Antonius Ura, & Jo-
sephus Castellus Poetæ non infæcundi. Franciscus Nea-
polis, Jacobus Catanzarus, & Franciscus Perdichizzi
Ordinis Capuccin: de Rebus Patriæ Scriptores in Si-
cula Mongitoris Bibliotheca locum habent. Eidem
commendantur Laurentius Amicus ex Minimis Pau-
lensibus, gravioribus imbutus scientiis, & Sac: Cano-
num peritia clarus, primis in provincia honoribus
condecoratus, complura in publicum emisit. Natalis
ejusdem gentis, nobilitate, & doctrina clarissimus, ac
Philippus hujus frater, qui de patria optime scripsit.
Mylas denique nostro hoc sæculo illustrarunt: Mar-
cellus Dominicus de Amico iterum in M. C. subfello
collocatus; Guillelmus Columna bis etiam & ipse
M. C. Judex, & Franciscus Cumbo in ejusdem supre-
mæ Curiæ Tribunali Judex.

MYLARUM Caput, *Aurea Cbersonesus* & Insula Solis veteribus appellatur, ab isthmo, ubi Arx & opidum sedent, ad extremam cuspidem, cui Pharus imponitur, pass. m. iii. in longum patens, ac varia latitudine ad septemptriones excurrens, ab omnimoda amenitate celebris habetur; quâ enim occasam respicit, leniter declive solum, vinetis, oleis, moris, suburbanis civium interspersis, fecundum, fructiferisque arboribus consitum, rurales delicias per singulas anni tempestates præbet. Coetaria ibi ex primariis totius insulæ a Tono appellata, cum vico cognomine, & SS. Jacobi & Philippi Ecclesia prima occurrit; hinc inclivo SS. Trinitatis ædes, undique conspicua. S. Antonii post pharum inde assurgit, cum veteris diruti Cenobii ruderibus; S. Nicolai quoque, unde feudum dicitur, illam ambiens, ac Paradyfus, ex suburbanis præcipuum, cum Deiparæ Ecclesia, civibus ob accepta beneficia frequens, & S. Theodori demum exigua hodie, quamvis Fazello etiam memorata. Rupibus cœterò aspera orientalis plaga, quas inter jaspidis lapides, & achatis massæ proveniunt, navibus parum tuta audit, & hyemis tempore formidabilis.

MYRTUS Opidum in plano collis vertice, circa hibernum solstitium, ac supra fluminis alveum; incolis olim frequens, qui opibus, & fortunis affluabant; ad S. Marci Comitatum hodie spectat, sed Principatus tessera ab an: MDCXLIII. decoratum, unica parochiali Ecclesia elegantissima, SS. Martyribus Alphio ac Fratibus sacra, Archipresbytero curante, & Sacerdotum cœtu Divinis officiis celebrandis intento distinguitur, ac minoribus xi. instruitur, quarum una, & præcipua S. Teclæ Virg: ac Mart: opidanorum Patronę dicata. S. Dominici Cenobium vetus est, & ad cultum animarū

pro-

promovendum loco frequenti situm . Sanctimonialium Conclave SS. Cosmę, & Damiani Martyrum nomini addictum , Benedictinis institutis vivit . Subest *Myrtus* Messanensi Archiepiscopo , qui Clero moderando vicarias Sacerdoti committit curas; Tortoricis Comarchia clauditur, & sub S. Philadelphi vexillis merebatur; Gentis denique Filingeriæ fasces recognoscit .

De ortu certi aliquid proferri nequit, sæculi enim XIV. initio ejus elucet nomen in Friderici II. Regesto; ubi *Vitalis de Aloysio* pro *Myrto*, Capri, & Fitalia obnoxius curiæ dicitur . Alterius sæculi AN: VIII. *Angellotto de Larcan* subdebatur, qui & S. Philadelphi etiam, Capris, Frazani, & Castri Romę ad maritima dominus erat. Cessit deinceps opidulum *Riccardo Filingerio* S. Marci Comiti, & ejus successoribus, de quibus alibi dictum . Ab *Antonio Brancifortio* sub Carolo V. emptum, qui Messanæ Strategus fuit, & *Balsamis* vendidit; Unde ad *Filingerios* rediit. Census MDL. lares 561. nec diu post animas 1695. Medio elapso sæculo focos 508. opidanos 1647. protulit . Sed jacturam subinde passum anno MDCXIII. casas 241. incolas 558. exhibuit, ac novissime 751. In longitudinis gradu XXXVIII. XX. & latitudinis XXXVIII. XV. locatur; & juxta idcirco maritimam oram, prope S. Marcum. *Myrtum* patriam illustravit Franciscus Cupanus Tertii Ordinis Seraphici, Botanicus singularis, Philosophus æquę, ac rerum omnium naturalium scrutator eximius . Eruditis innotuit, qui sæpissime ad eum datis literis de abditis naturæ arcanis consilium perquirebant . Prostant ejus opera, celebraturque *Hortus Catholicus* .

MYTISTRATUM . Consule *Mistretta* .



NA-



ACONA Vetus Siciliae Opidum. Memoratur Philisto, ex quo Stephanus *de Urbibus*. Cluverius, & Massa incerti situs dicunt.

NASARIS. Amplissimus in Castri Regalis ditione ager, cum vico cognomine, qui Barcellonensi Municipio adjungitur; id enim hoc in agro sedet, uti & S. Veneræ Casale, de quo suo loco, *Nasaris* Parochia S. Rocco sacra, Sacerdoti committitur sub Castri Regalis Archipresbyteri cura, distatque III. pass. M. in ortum ætivum ab eadem civitate, cujus fasces recognoscit. Primus turrim Saracenens eripuit Rogerius Comes, hosque sese dedentes, duos supra triginta cum familiis *Ansaldo* Vicecomiti de Ari commilitoni suo in subditos designavit, singulos ex nomine in donationis charta describens. Excepit *Ansaldo Antonius*, de *Nasari* ex dynastia appellatus; sub Friderico II. *Bonsignorus de Nasari* Messinensis possidebat; Martino rerum potente *Antonius*, post quem *Bonsignorus* alter sufficitur ab Alphonso MCCCXLV. confirmatus. Eo sine prole decedente *Joannes* frater obtinuit; huic verò *Gregorius de Pericono*, seu *Praconio*, & *Nasari* uti consanguineus a *Bonsignoro* vocatus MCCCCLXXXV. successit. Ex *Gregorio* *Franciscus Bonsignorus*, unde *Cesar* minor, MDXVI. possessionem indeptus. Hi omnes Vicecomites de Ari ab *Ansaldo* primo authore se nuncuparunt, quo etiam titulo & successores gloriantur. Sæculo quippe XVI. decurrente ad nobilem gentem de *Puteo*, *Periconia* hæredem, *Nasaris* spectabat; sub elapsi vero medium *Portia* æque ingenua, &

clara obtinuit, cujus est hodie germen *Antonius Xaverii* filius ab elegantibus moribus commendatus.

NASIDA apud Stephanum Byzantinum *Catal: de Urbibus*, vetus opidum, quod hodie *Nisum* esse adstruunt Aretius, Maurolycus, & Fazellus, qui de eo hæc tradit: *Nasida, media producta, opidum vetusti operis dirutum, ad sinistram Nali fluvii ripam in valle, quod Nisam olim fuisse opidum ab Atheniensibus inexpugnatum, eorum navigationis ordo videtur ostendere &c.* De *Nisa* inferius, ubi an Fazelli conjecturis sit deferendum, examinabimus.

NASUS Opidum ingens, ac locuples, in plana ferè, & ampla montis superficie hæret, post veterem *Agathyrnam*, & *Orlandum* promontorium, unde in austrum pass. m. iv. abest; a *Brolo* alibi descripto, occasum versus haud procul; profundisque vallibus undique cingitur, per quas amnes decurrunt, alter quidem per occasum, & aquilonem, alter per meridiem & ortum; ille in *Phitaliam*, hic in *Timethum*, aliter *Nasi*, influens, uti de singulis infra dicemus. Circa occidentem æstivum solem in levi tumulo arx respondet, ac toti opido dominatur, rupesque ardua, e vallis ima radice se subrigens, firmitatem illi conciliabat; hodie enim ruinosas ostentat turres, & dynastæ non inelegantes ædes subjectas habet. Mœnia quoque ex ruderibus dignoscuntur; portæ autem IV. adhuc perstant, quarum præcipua ad occidentem opidi insignia, *Nasum binas inter Aures*, lapidi inculpta præfert. Præstantiores Ecclesiæ iv. Major veteri *S. Mariæ de Latinis* titulo clara, *Jacobi*, & *Philippi* Apostolorum etiam nomine vulgo appellata, decentissimo cultu, columnis scilicet suffulta, ac æris campani turri splendet. Ibi Christi Domini e Cruce
pen-

pendentis imago in summa religione est; Archipresbyter communi Sacerdotum cętui; & minoribus sacris ædibus xi. jura dat, Comitum denique sarcophagi in ea e marmore spectantur. Altera S. Petri parochialis proprium habens Curionem, cui regionis orientalis animarum incumbit sollicitudo, insigniter & ipsa nitet. Tertia S. Salvatoris Parochia ornatu distinguitur eximio, fronte, turri, columnis excellit, suoque Sacerdote gaudet, ad quem opidanorum circa septentriones degentium spectat cura. Quartam denique Ecclesiam S. Cononis Monachi, Civis, ac singularis Patroni cultui addictam Beneficiales administrant. Sacra ex illa australis orę incolę participant, uti principis parochię filia; elegantissime concinnata, columnis instructa ejusdem Divi tutelaris ipsanis ornatur, & statua; Hypogeum spectandum præbet, ubi Crypta S. Monachi incolatu celebris. Hę omnes Messanensem Archiepiscopum supremum Pastorem recognoscunt, qui suas partes Vicario, & Visitatori committit.

Ascetis extra opidum, centenis circiter passibus, sub S. Marię de Jesu titulo, & minorum Observantium regula, Coenobium est in colle, maris prospectu amœnissimo. Ad aquilonem humiliori situ Capuccini ab anno mnlvi. degunt, sylva, & horto aquis irriguo satis amplo fruuntur. Hospitalares Fratres in opido S. Marię de Pietate sedem possident, atque infirmis, congrua domo exceptis, charitatis officia impendunt. Sacrarum denique Virginum S. Benedicti instituta profitentium, Monasterium post occidentem portam occurrit, B. Catharinę nomenclatura, in quo regularis vitę districta viget observatio, & perfectionis studio sedulo intenditur. Comitatus tessera refert *Nafus*. Nundinę in eo S. Canonis festiva re-

currente celebritate insignes Septembri mense indicuntur. Armorum Dux Regis ad nutum, in opidanos jus dicit, qui in Comarchia Tortoricis, & Militari Præfectura Amestratenſi clauduntur, pedites XLIV. equitem 1. sub ſignis educunt. Numerati ſæculo XVI. ſunt 2340. in laribus 765. Sequentis anno LII. lares 843. cenſi, animæ verò 3173. Diebus noſtris MDCXIII. erant 2309. in focis 728. Noviffimè 3898. Quod attinet ad Cœli aſpectum *Nafi* longitudo eſt grad: XXXVIII. latitudo eòdem fermè recidit. Spectat ad *Nafi* Dominos, qui ab anno MDLXXV. Comites ſunt dicti, & loco XVIII. in Comitibus ſedent, Orlandi Promontorii Arx, de qua mox agam.

Eorum vero ſeries hæc eſt. *Goffredus de Niſo*. Subſcribit alios inter Proceres in Adelaſiæ Comitiffæ, ejuſque filii Rogerii diplomate anno MXXII. exarato, quo Panormitanæ Eccleſiæ privilegia confirmantur; tunc enim temporis ab dynaſtiis, quas obtinebant, paſſim viri principes dicebantur. Verum nonniſi ex medietate opido potiebatur; Rogerius quippe Comes MXXIV. Liparenſi S. Bartholomæi, Paſtarumque Monafterio medium *Nafum* conceſſit, uti ejuſdem literis conſtat, quas Pirrus exſcripſit. Orta hinc inter Episcopum, & *Gualterium de Guantes*, qui *Goffredo* ſucceſſerat, controverſia, eam Rogerius Rex MXXXIX. compoſuit, uti diploma apud eundem Pirrum eloquitur. Fazellus Dec: 2. lib: 9. *Abbonem Barreſium* ejuſdem Comitibus ſocium inducit, cui Petrapertia, *Nafus*, Orlandi caput, Caſtania, ac pleraque alia opida attributa fuiſſe evulgat, quod alibi adnotavi; At enim allata Adelaſiæ, ipſiuſque Rogerii diplomata, quod *Abbo Nafum* acceperit ſubſecutis temporibus, evidentiffimè evincunt. Ex *Abbone*, &
Ade-

Ade mira Averfani Comitum filia *Joannes*, unde *Abbo* II. seu Junior, cujus in Friderici Caesaris literis fit mentio. Hic enim sub Henrico VI. Imperatore, ac Siciliae Rege ab officiis descens, medio *Nasi* opido privatus asseritur, in cujus locum quum idem Princeps *Filianellum Pisanum* suffecisset, proditor & ipse inventus est; Fridericus hinc anno MCCVI. *Medietatem Nasi Stephano* Pactensi Episcopo integre concessit, & donavit, subindeque *Anselmi*, Stephani successoris favore, novo privilegio MCCIX. exarato, illum in possessionem induxit. Hic obiter Pirri lapsus adnotabis, qui *Abbonem de Barreis*, seu *Barrestium*, *Abbatem de Guerres* appellat. Exscriptoris fortasse vitio *Abbas pro Abbas* irreplet, qui & aliter *Abbo*; uti pro *Barreis* suffectum vocabulum *Guerres*; quod Pirrus non advertit.

Amisisse Pactensem Ecclesiam *Nasum*, aut cum *Abbonis* successoribus commutasse, integrumque illis inmo resignasse opidum putaverim; *Matthæus* enim *Abbonis* filius, & hæres *Joanni* ex se genito reliquit, qui Jacobo dudum Siciliae, mox Aragoniae Regi adherens, Andegavensium partibus contra Fridericum fratrem, ut Pontifici obsequeretur, faventi, patria excedere cogitur, bonisque spoliatur. Ejus hinc loco *Blascus Alagona* cum gladii potestate *Nasi* dominus evasit, uti in Friderici ejusdem censu de anno MCCXX. adnotatur; Hunc excepit *Blascus* Junior ex Aprili in *Chron: Sic:* moxque *Joannes* illius tertius frater, qui principatu a præfecto suo, & plebe, ex tumultu repente excitato, dejicitur; quod tamen paullo post, per opidanos facti poenitentia ductos, confosso pugionibus præfecto, recepit, uti Fazellus testatur. Joannis uxor Isabella Palicia fuit, ex qua prolem

prolem tulit nullam . Inter hæc Aloysius Neapolis Rex Messanam a *Nicolao Casareo* evocatus, altero ab appulsu in eandem urbem die , qui fuit Natalis Domini , *Casareum* Montis Albani Comitatus titulo insignitum, Tripis, & *Nasi* dominio ditavit anno MCCCLVI. Expugnata opida hæc Andegavensium copiis nonnulli adstruunt; quod illa Aloysius cojuracionis auctori assignaverit. At enim in Friderici III. perstitisse potestate produnt historiæ; frustanea idcirco eorum elargitio dicenda, effectuque vacua. Post *Joannem Alagonium Artalis* Blasci filius *Naso* potitur, ad annum MCCCXII. eo quippe apud Martinum Regem defectionis accusato, *Bartholomæus Aragonius* cum aliis conterminis opidis ex Regio decreto suscepit, amisitque non diu, quod & ipse descierit; quumque in Capitis Orlandi arcem confugisset, ibi a Bernardo Caprera, copiis Regiis stipato, devictus est. Obtinuit nihilominus, legatis Messanensibus in Syracusanis Comitibus agentibus, ut bonis omnibus Friderici fratris favore cederet, ipse verò insula abiret.

Sed *Nasum* interim *Raymundo de Xamar* Regio Camerlingo Martinus concessit MCCCXI. Hic quum resignasset, *Bernardum de Centelles*, eodem Principe volente, successorem accepit, in Censu de anno MCCCVIII. memoratum. A *Centellis* ad nobilem gentem *de Cardona* circa sæculi XVI. initia ex matrimonio devenit; hinc *Carolus Viginimillius* sequentis medio, sibi opidum devinxit, qui Comitibus Hieracensis Joannis II. filius, Joannam Rahal-Joannis hæredem uxorem habuit, unde *Josephus*, Hieracii Comes post patruelis fratrem sine prole defunctum renunciatus. Effulsit Carolus Siculos inter Proceres ob præcipua, ingenti cum laude, & gloria, gesta munia, primusque

Nasi

Nasi Comes est dictus, ac Patriæ Pater jure appellatus, sub quo *Nasitani* Regio *Demanio* adscribi frustra postularunt. Mugnos opidam in *Francisci de Starraba* gratiam *Carolus* anno MDLXXX. cum amplissimo *Gattæ Platiensis* agri feudo commutasse scribit; sed hæc publicis cum libris non conveniunt. *Josephus* enim ab *Hieronymo Joppulo* scutatis XXVII. M. acceptis, *Nasi* dominium a se transtulit MDXCV. qui contractis cum *Laura Vigintimillia Sinagræ* domina nuptiis, *Antonium* est affectus filium. Ab eo prole deditito *Nasum* juxta exsoluto pretio *Stephanus Cibo*, & *Cottone* emit; unde *Flavia Cibo* & *Rocca* hæres, *Hieronymi Cottonis* uxor prodiit. *Flavia* soror fuit *Joanna*, quæ & ipsa *Nasi* Comes est dicta. Verum *Hieronymus Joppulus*, & *Vigintimillius a Cibo* & *Cottoniis* dynastias revendicavit anno MDCLXII. Natus quippe ex *Joanne Hieronymi Joppuli Senioris* filio fuerat. Ab *Hieronymo* minori *Didacus*, MDCLXXXIII. inauguratus, ex quo, & *Isabella Vanni* tertia conjugæ, *Josepha*, *Nasi* Comes, & *Sinagræ Dux* MDCCXXIX. appellata, *Didaco Sandoval* S. Joannis Marchioni sacris vinculis adjuncta.

Nasi agrum olei, ac serici ditissimum complura ambiunt opida, fontesque ubertim irriguum reddunt; Colonis hinc frequentissimus audit, armentis, gregibusque pascendis satis aptus evadit; nec locis asperis ac nemorosis caret ad jucundam venationem, In *Olivari* regione palus nigris, ac turbidis aquis locum infestat; si quis autem albissimos pannos hujusmodi aquis inficit, nigrescunt illi quamprimum, atrumque colorem nunquam dimittunt. Ortum apud *Nasum* habuit S. Conon, regulamque S. Basilii, *Rogeri* Regis ævo professus, variis a Deo prodigiis meruit

meruit illustrari. In Palæstinam profectus, loca sancta invisit, ubi etiam miraculis innotuit. Ad suos reversus, patrimonio in pauperes distributo, propriis manibus laborando victitans, colendoque agello intentus, reliquum vitæ innocentissimæ traduxit. A calumnia aliquando mirè liberatus, Coelo tandem maurus Martio mense sanctissimè obiit. Ejus est paterna domus in Ecclesiam commutata, ubi hodie illius coluntur exuviæ. Extat in Capitis Orlandi arce Deiparæ e marmore icuncula, a Conone ibidem collocata, ad quam quotannis colendam ex vicinis opidis, magna frequentia, Christifideles accurrunt. Gloriat *Nasus* Cive satis etiam apud sæculi illustres viros clarissimo, Ignatio Perlongo, cujus ingenii felicitas, orisque facundia Juris-Consultos ævi nostri omnes facile superavit; ad supremos idcirco gradus in Sicilia evectus, ad Caroli Cæsaris aulam Vienne evocatus, conceptam da se opinionem equavit. Italiæ diù Regens, plenus dierum ibidem denatus. Ignatii filius Fraciscus summus ac ipse vir, Mediolani Prætor effulsit. Memorat Mongitorius in Bibliotheca Sicula Marium Albiosum Ordinis S. Spiritus presbyterum Musices peritissimum, & elegantem Poetam, Joannem Jacobum Cuffarum Medicum, ac Philosophum præcipuum, & Poetam, uti nonnulla ejus opera typis edita declarant. Laudat demum Petrum Drago, Jacobum Mucciaccum Soc: Jesu; Josephum Montefuscum, & Josephum S. Julianum, quos omnes S. Cononis vitam exarasse ex Cajetano perhibet.

NASI Fluvius nonnullis Scriptoribus *Timetibus*, de quo inferius. Oritur supra Ucriam opidum, & inter Broli arcem, & Orlandi promontorium ad aquilonarem Siciliæ oram ostium aperit. Fazellus ad iv. pass.

pass. m. post Orlandi Caput id ostium statuens hæc habet: *Ortum habet supra Ucriam opidulum, quo ad sinistram relicto, decurrens, dextrorsum Raccudiam opidum exhibet, cadensque Sinagram interfluit opidum, & deinde Martini ad dexteram, & mox Ficarram in edito colle relinquit opidula, atque ulterius Nasidam. Sed in excelsa colle Nasum hodie dictum, recens opidum ex Nasida, pagorumque aliquot reliquiis conditum, & Coni pii viri, qui tempore Rogerii claruit, officium nobilitatum habet; fluensque tandem hoc loci in mare se ingerit.*

NAULUCHUM Opidum, *Naulocha* plurium numero, quæ vox latinis literis redditur: *Statio Navium*, ad Malpuriti fluminis ostia juxta Cluverium sita; sed ex Hophmanno, ubi hodie Diveti Turris maritima, inter Raysculmum, & Mylense promontoria. Cluverius lib. 2. cap. 5. *Inter Phalacrium promontorium, hodie Raficulmum, & Mylas duo recensentur antiquis authoribus loci, quorum alter Dianæ Fanum dicebatur, alter Naulochus. Appian: Civil: Bell: lib: v. Mylas, & omnem hinc ad Naulochos, & Pelorum maritimam oram Pompejus etiam tum tenebat præfidiis. Suetonius in Augusto: Pompejum inter Mylas, & Naulochum superavit. Silius lib: xiv. Non Naulocha pigra periculi sederunt. Et post multa, quibus de Fano Dianæ differit, concludit: Opidum Naulochus, sive Naulochum, seu plurari numero Naulochi, & Naulocha, quæ vocabula nil nisi Navium Stationem significant, haud dubio circa os fuit amniculi, cujus vulgare nunc apud incolas nomen est: Malpurito. Hæc quippe una est, haud longe ultra Melas Fluvium, navium statio.*

NAXUS Urbs vetus, Chalcidensium in Sicilia
T. III. P. II. O omni-

omnium prima; Olympiadis xi. anno i. a Theocle illorum Duce fundata; Si aliis vero deferimus, Siculorum opus, a Theocle suorum colonia aucta. Herodoto, Straboni, Diodoro, Thucydidi, Pausaniæ, Plinio, Antonino, & aliis celebrata; circa Onobalæ fluminis finitram oram, quod hodie *Cantara*, & *Calatabiani* dicitur, ab hostio haud procul sita, sub *Schison* promontorio, pass. m. v. circiter a Tauro. neno, quod ex *Naxi* reliquiis ortum habuit juxta nonnullos; hinc Plinius lib: 3. cap: 8. *Tauromenium ant a Naxos*, & Solinus: *Peloritana ora nobilitatur Colonia Tauromenio, quam prisca Naxos vocabant*. Si aliis vero credimus, ex *Naxiis* post urbis excidium superstitionibus Tauromenium auctum; postquam enim Zancleis illam obsidentibus fortiter restitisset, & aliquando Chalcidicas inter Siculas effloruisset; Olympiade cxiv. Proculi rectoris prodicione in Dionysii Minoris manus, quum venisset, funditus excisa est; Cives hinc patriæ ruinas evadentes in proximam in colle Tauro civitatem confugerunt, frequentioreque reddidere. Extra *Naxum* pro littore Aram Apollinis Archagetæ conditores primos extruxisse idem Thacydides enarrat; ubi quoties e Sicilia solvebant, oracula petituri, nautæ primum sacrificabant. De hac Ara, & Simulacro jam dixi; perdurasse porro Archagetam Augusti etiam tempore author est Appianus. Veneris quoque Fanum ad *Naxum* in littore extitisse antiquissimum proverbium, teste Cluverio, perhibet, ubi appensa *Gerra*, idest præmagna pudenda dedicata.

Catanam a *Naxiis* conditam Strabo lib. 6. affirmat, a Chalcidensibus nempe, qui uti supra innui; sub Theocle duce *Naxum* primo appellentes, Callipolim, Catanam, Leontinosque deductis coloniis,
inco-

incolis frequentarunt. Hinc quum Chalcidensibus Siculis Civitatibus contra Syracusanos opem laturo Athenienses in Siciliam trajecissent, Thucydides refert, illorum Duces cum navibus Naxum e Rhegio transmisisse, atque a Naxiis, postquam in urbem fuissent recepti, Catanam navigasse. Herodotus lib: 7. ab Hippocrate Gele tyranno vexatos Callipolitanos, Naxios, Zancleos & Leontinos tradit. De Messeniis, seu Zancleis Naxum obsidentibus Thucydides lib. 4. *Messeniis interim omnis populus terra pariter, & navibus adversus Naxum Chalcidicam, finitimam urbem proficiscitur. Ac prima quidem die intra muros repulsis Naxiis, agrum depopulabantur; postridie vero circumvadigant ad Aesinem amnem, hodie Frigidum, agrum inde vastant, peditatu opidum oppugnante. Atque interim Siculi montani, ad ferendam Naxiis opem, frequentes in Mamertinos descendunt; quos ut conspexere Naxii, addito animo, seipsos mutuo adhortantur, & subito ex urbe erumpentes, in Mamertinos irruunt, in fugam vertunt, ac supra mille occidunt, ceteris agrè domum elapsis.* De Naxi excidio demum Diodorus lib: 14. *Euclide summum Athenis magistratum gerente, Dionysius Syracusanorum tyrannus, postquam pacem cum Carthaginensibus fecerat, vicinas Chalcidensium urbes ditioni suæ adjicere properavit. Erant autem Naxus, Catana, Leontini. Haud multo post: Procles Naxiorum ductor magnitudine promissorum adductus, patriam Dionysio prodidit; qui præmiis proditori exsolutis, & cognatis insuper concessis, reliquam civium multitudinem servituti addixit, horum fortunas militibus diripedas tradidit, murosque & ædificia destruxit; agrumque Naxiorum Siculis finitimis donavit.*

NEBRODES Mons, *Maro* aliter, & usitato vulgi vocabulo *Madonia*. Celebrant illum Plinius, apud quem *Maro* nominatur, Strabo, Silius, Solinus, Gratius, & alii, qui ab Hinnulis, & Damulis in eo pervagantibus *Nebrodes* Græca dialecto appellant. Quod Ptolemæus *Cratam* dixerit, Fazellus affirmat; sed alius ex Cluverio est Ptolemæi *Cratas* inter Pannonum, & Triocalam, uti alibi Tom: 2. adnotavi. Tota Sicilia præter unum *Ætnam* celissimum esse, latissimumque jure idem perhibet Fazellus, hinc Strabo lib: 6. *Ætna ex opposito*, ait, *se se attollunt Nebrodes Montes*, humiliores quidem illa, sed amplitudine *æquali*. Ubi advertes: Strabonem *Montes* appellare; est enim ingens nonnisi montium jugum, uti Cluverius describit. Prominet porro Tyrrheno mari, ad aquilonarem Insulæ oram, cujus pene medium occupat, vii. circiter pass. m. a littore disjunctus, compluresque circumquaque perennes habet fontes, qui sese in amnes diffundunt, veluti sunt uterque *Himera* septentrionalis, & meridiana, *Monalis*, *Tortus*, *Alæsus*, aliique parvi nominis, uti de singulis agendo protuli. Præcipuæ ejus sunt vertices *Regina*, *Calaxiura*, & de *Casis*, quod scilicet in hoc potremo veteris ædificii vestigia, laterum, & tegularum fragmenta inveniantur. Locus præterea circa hos tumulos, rupibus undique, fossæ intar, circumcisus, *Mandra Cervorum* vernaculè, Cervile Latinis dicitur; Puteus quoque *Mendonica* vulgo, seu scrobs profundissima, & angusta ibi aperitur circa aquilonem, admiratione digna; ad imas quippe montis sedes penetrare passim creditur. Latera circa ortum ardui sunt ascensus, & nemorosis saltibus referta, sed bini colles omnino æquales circa illa subriguntur, annosis

& ipsi arboribus convestiti, *Gemelli* idcirco nuncupati, ad quorum radices S. Mariæ de Partu vetus Benedictinum Cœnobium alibi descriptum. Ab aliis Cœli regionibus juga jugis conjuncta parumper, ac leviter inclinantur, & minus difficulter adiri possunt.

Convallis porro amplissima collium omnium circumquaque assurgentium veluti centrum occupat, in qua *Præliorum Arca*, Siculo ore, *Piani della Battaglia e Battagliella* indicantur, quod Sarracenorum ibi xx. m. Northmanni Equites m. commisso prælio fuderint, horumque Dux a xx. millibus deinceps cognomen assumpserit, quæ sane traditio fabulis ab Eruditis accensetur. Quamvis alii ortum vocabulum perhibent a rusticis jocis, instar præliorum, a pastoribus ibi institui solitis. Perennes fontes non uno in loco hac ipsa in valle promanant, & uberior frigidissimas servat aquas, uti me experientia docuit. Scrobs prope exiguum alium fontem de *Asino* conspicitur, in quam ingens aquarum vis hyemis tempore ex tota convalle defluit, & perit. Pinguia cœtero, lætissimaque ibidem pascua æstivo tempore rem pecuariam augent; medicinales herbæ, ac radices omnis generis proveniunt, quas aut brutis animalibus, aut hominibus salubres herbilegi, ac botanici undique confluentes, inde discerpunt; nec arbores varii generis, saltus, dumeta, rupes, jucundas venationes præbentes eò loci desunt, nec platani demum, ad quarum gratissimam umbram solares æstus submoveantur. Quod spectat ad juga, & latera, hæc nedum hyeme rigente, vere, & autumnò, sed æstate etiam ipsa, multa nive teguntur; exciduis namque in locis, ac rimosis, sole incalente, ad annos plurimos densa perdurat glacies, uti coram Ego didici.

Multa

Multa præterea arbore ad radices usque virent, quercubus scilicet, ilicibus, fagis, sylvestribusque lauris, fraxinis, & castaneis; adeo alicubi nemoris instar opacissimi horrorem penè incutiant. Sub hujusmodi autem sylvis oves tam opimis saginantur pascuis, uti præcipuos *Madonia* verveces in tota regione nostri habeant; adnotatque Fazellus, quod & dum vivunt, & post interitum pecora dentes perpetuo inauratos proferant. Fungos vero, a proxima, ubi proveniunt planta *Rosellos* nuncupatos, a copia etiam, atque ab eximio sapore celebratos ibi terra progignit, eorumque fit per Siciliam quæstus non modicus. De Opidis ad montis hujus extrema, Castellobono scilicet, Gratterio, Isnello, & Policio dixi. De Petraliis, aliisque infra agendum. Quum aquilonares illius regiones Asprimontis feudo concludantur, & aliquando feudi hujus dominium Gens de Farina nobilis tenuerit, *Madonia* idcirco Marchionatum hæc, Rege annuente, est assecuta

Subdam hic, quæ de *Nebrode*, ex Joannis Baptistæ Carusii, & Francisci ejus fratris, quos eruditio, & sana doctrina satis dudum commendabat, opinione in meis ad Fazellum notis expendi: in eo scilicet *Hæcos* montes esse statuendos. Qualis *Hæcorum* fuerit fertilitas jam supra, de illis loquens, ex Diodoro descripsi, nec quidem sum de non ab simili in hac *Nebrodis* regione sollicitus; pauci enim colles extant, quibus potiori jure *Hæcorum* congruant doctes; sed illud Diodori: *In hac regione convallis quædam arborum, divinum habens decorem, & dicitur Nymphis locus existit; ubi Daphnim Mercurio Nymphaque genitum produunt, cui laurorum illic multitudo, & densitas nomen peperit; adeo nuper laudatæ*
Nebro-

Nebrodis convalli quadrat, uti illam subiens Ego, ac per diem pene integrum, omnem circumquaque attentissime collustrans, in descripta a Diodoro versari, dubio procul putaverim. Pondus non leve opinioni adjiciunt Theocriti verba in Idyl. Thalys. *Quomodo canit Poeta, olim Hospitam amavit Bubulcus Diphnis; & quomodo per montem aberravit; & quomodo quercus ipsum laxerunt, quæ nascuntur circa ripas fluvii Himera.* Si quercus circa Himera ripam non aliæ sunt, quam quæ in *Nebrode* nascuntur; Himera enim, uti innui, ad *Nebrodem* fontes habet, cursumque ad illius radices agit; Mous, per quem *Daphnis* aberravit, *Hercus* Diodoro, *Nebrodes* procul dubio erit.

NEMUS REGIS locus erat in Tauromenitana ditione, ad Fridericum Crispum Martini evo spectans.

NEPTUNIUS Mons Solino, & aliis memoratus, supra Messanense fretum, hodie *Spraveris*, in cujus supremo clivo specula erat *Bimaris*, & vulgo *Dinamaris* appellata, quod utrumque mare, Tyrrhenum scilicet a septentrionibus, & Jonium ab ortu prospiceret, ubi hodie Virginis Deiparæ ædicula assurgit. Hiatus haud longe eodem in vertice profundissimus aperitur, unde maxima ventorum vis continue efflatur ex Fazello. Cluverius cum Peloro confundit, cui Brietius concinit; Verum hic in septentriones vergit, Neptunius in austrum; fluenta aliunde utrumque dividunt, & si consociari circa supremas oras videantur.

NEPTUNI Templum ab Orione, qui Zancle imperium obtinuit, edificatum circa Pelori cuspidem, uti ex Hexiodo lib: 4. Diodorus vulgavit, cujus ingentes columnæ post ejus everisionem majori Messanensi Templo

plo sustinendo aptantur. Aliud erat *Neptuni* fanum in urbe, de quo Samperius. Quod Ara in uno ex lacubus Peloritans olim extructa, *Neptuno* quoque fuerit consecrata, suspicatur Cluverius lib. 1. sed non affirmat.

NESA. Vide *Nisa*.

S. NICANDRI Ordinis Basiliensis vetus Monasterium Christi Domini anno dccc. uti perhibent, supra Peloritana oram in septentriones primo constructum, subinde vero Northannis Principibus agentibus instauratum, & sæculi xii. anno xxxi. Magno Archimandritali Monasterio ab Hugone Archiepiscopo, Rogerii Regis præcibus, adnexum. In ejus Ecclesia S. Nicandri, & sociorum exuviæ conduntur. Abbas in Comitibus votum profert xli. & Pontifici ab Rege offertur instituendus.

S. NICOLAI DE ARENA Benedictini Ordinis Coenobium ad australes *Ætnæ* radices, cujus initia Simoni Comiti, & Adelasiæ ejusdem matri, Rogerii I. uxori adscribuntur. Hospitalem enim domum, in qua peregrini exciperentur, hos primum voluisse dicunt. Alter subinde Simon Policastri Comes S. Leonis de Pannachio Monachis anno mclvi. attribuit, ut eo veluti valetudinario uterentur. Quumque mitioris esset aeris locus, paulatim in Monasterium crevit, & S. Mariæ de Licodia alteri Benedictino Monasterio sequentis sæculi anno v. adnexum, cum S. Leone Abbatie insignibus fuit decoratum. Primus igitur Licodiæ, & S. Leonis Abbas Petrus Celius adlectus, S. Nicolaum veluti membrum administravit; procedentibus annis S. Mariæ di Licodia, & S. Nicolai Abbas, Martialis Episcopi decreto, Jacobus de Soris, qui tunc præerat, fuit appellatus; sedesque Abbatis passim

S. Ni-

S. Nicolaus evasit, quod sua dudum praesentia, & incolatu Eleonora Regina Friderici II. uxor post hujus mortem nobilitaverat. Sicula hinc Congregatio, seu Sicularum Cenobiorum unio ab eodem veluti praecipuo nomen accepit; Quumque Sicula cum Casinensi Italica convenisset, ac nostri veteri relicto, Catanam commigrassent, S. Nicolai Vetus illud deinceps est dictum, Catanense vero ad omnem magnificentiam, Ligustici marmoris elegantissimo peristyllo concinnatum, sacra inter aedificia per Siciliam principem locum tenuit. Hinc terramotu disiectum, elapsi saeculi xiiii. anno, longe splendidius surrexit; duplici nempe peristyllo, decentissimis ascetarum aedibus, bibliotheca, museo, tricliniis, viridariis, atque amplissima praeter ceteris Basilica, paucis per Italiam secundum evasit. Celeberrimum porro reddunt sacra Dominicæ passionis pignora in sacrario asservata: De Alba Veste non exiguum frustum, de Purpura, de Columna, de Spinea Corona, Aragonensium Principum, Siciliae Regum beneficio accepta; Crucis fragmen thecae inclusum, quod e collo Martinus I. gestabat, & Clavus denique Divinae, uti tradunt, Dexteræ, singulare ejusdem Regis, atque insigne donum. Sedet ad occidentalem Catanæ oram situ parumper elevato, ac veluti urbis corona spectandum se præbet. Ejus Abbas in Comitibus locum occupat lxx. Quam hodie dignitatem dignè occupat Petrus Coelestinus Montaltus Syracusanus, doctrina, moribus, ac in rebus agendis dexteritate praecipuus.

S. NICOLAI DE FICU Abbatia sub S. Basilii instituta, a Raccudia, oppido Vallis hujus, dc. circiter pass. distita, Rogerio Comite auctore mxcix. fundata, ac praediis aucta. Commendatur hodie Fran-

cisco Frangipane Panormitano, qui in publico Regni Consilio loco xxxv. inter Ecclesiasticos Proceres assidet.

S. NICOLAI Scopulus & statio in orientali Tauromenitano littore contra cryptam *de Anzio*.

S. NICOLAI Vicus sub Vallis Viridis opidulo in Acensi ditione, ab ejusdem Divi Ecclesia appellatus.

NICOLOSUS Opidum ad australes Ætne radices sub Arenę montibus, aliter Rubris ab ejusdem arenę colore appellatis, quos an: m̄dclxix. egesta ab incendio materia efformavit. Nomen opido ab laudato S. Nicolai Monasterio appictum, origine idcirco XIII. non excedit sæculum. Juris est Paternionens̄s Principis, ac Catanens̄s Diocesi, & Comarchia clauditur pass. m̄. ix. ab ea urbe in aquilonem dissidens. Major & unica parochialis Ecclesia cum Canonico Collegio S. Antonii Patavini nomine gloriatur, binasque suffraganeas habet; quibus Episcopi Vicarius jus dicit. Novissimè pro sequiori sexu Conclave coaluit sub S. Marię de Gratia titulo. Sunt in laribus 328. opidani hodie 1476.

NICOSIA Civitas Constantissima, ampla, nobilis, & Regii juris, montana occupat ab insulę centro, Artesino scilicet colle, haud procul, circa Salsi orientalis fluminis fontes. Sunt autem illa inæqualia, ab ortu & aquilone ardua, in meridiem accliviter prona, cui quidem plagę majori ex parte opidum respondet. Arx ingens ac turrita, edito in clivo, olim magnifica, hodie pene inutilis, orientem æstivum solem respicit; cujus muri rupibus inædificati firmitatem sane quammaximam, nullius tamen regularis figurę speciem præferunt; a Rogerio hinc primum ædificata, subinde a Claromontanis, ut loci natura exposcebat, munitionibus aucta, non injuria creditur.

ditur. Visuntur adhuc in illa e duro lapide pilæ hæc illac dispersæ, non mediocris ponderis, quas in hostes ex alto præsidarii ejaculabantur, nullius nunc usus. Sub arce circa austrum S. Mariæ majus Templum, Rogerii Comitis opus, civium inter ædes extollebatur; spectatu dignissimum, cujus erant sudstructiones e profundissima valle, solidis constrata cautibus, adeo in altum productæ, uti oblectamentum simul, & horrorem intuentibus inferrent; Æris campani turris conspicua, externus, internusque decor eximius. At enim paucis ab hinc, subsidente ad imas radices solo, una cum circumposita urbis regione paulatim detrudi visum; totum in ruinam abiit, nec nisi supremas ædificiorum partes ostentat. Periisse tradunt civitatis penè quadrantem cum S. Crucis Parochia.

Jam altera præcipua Ecclesia S. Nicolao Myrensi Episcopo sacra, quæ & ipsa Matris etiam titulo gloriatur, centrum veluti tenet, & vetustissima, ab eodem Rogerio Comite scilicet ortum repetens, censeatur. Pronao, triplici navi, uti dicunt, æris campani sublimi turri, aliisque elegantissimis concinnatur, & Canonico Collegio, circa sæculi xv. finem fundato gaudet, insignibus distincto. Canonicis suis S. Mariæ Ecclesia quoque gloriatur; utriusque vero Primas Archipresbyter; in S. Nicolai Cantor; in S. Mariæ Collegio Decanus unica est dignitas; primarii alumni in unoquoque x. secundarii totidem, Beneficialesque, uti appellant, vi. S. Mariæ rursus Canonici Parochi alternatim; sed Archipresbyteri Coadjutores etiam per suas vices S. Nicolai audiunt. Duæ deum Basilicæ per annum Majoris munia obeunt. Tertia *Nicosiæ* Parochia S. Michaelis nomine, turri, ac decentissimis fabricis exulta, ad austrinas, ortivasque pla-

gas infra S. Mariam perseverat suo cum Curione, qui ex hujus primariis x. est alumnus. Olim S. Michaelis regio suburbium erat. Reliquæ unde sacra participant incolæ, S. Crucis, & S. Salvatoris titulo Nicolinz suffragantur; illa ad imas opidi oras in meridiem, novissimè, uti innui, in præcepta acta procubuit; nuper tamen opportuniori in loco resecta videtur; altera elegans, & concinna, in supremo rupis vertice condita, toti opido ad occasum imminet. Hisce in Ecclesiis ex piorum civium instituto, Divinus famulatus, & sacra psalmodia quotidie etiam vigent.

Monasticæ familiæ non ante sæculum xiv. *Nicostia* coaluere. Minores enim Conventuales anno ejusdem xxvii. extra mœnia primùm, fixerunt sedem, cui adhuc rei S. Antonii Patavini Ecclesia sub illorum potestate atque ab eisdem frequenter culta, fidem adstruit. Ad mediam subinde civitatem circa forum migrantes, Cœnobium sub S. Patriarchæ auspiciis satis amplum excitarunt, in quo Provinciæ Comitia sunt celebrata. Minores itidem olim de Observantia, hinc ab anno mdcii. Reformati, circa africanum colli inhaerent, S. Mariæ Jesus nomine, claustroque, ac congruis utuntur ædificiis. Tertius ejusdem Seraphici Patris Ordo sub S. Annæ patrocinio, post Reformatos humiliori quidem tumulo, sed in eleganti degit Monasterio, quod ineunte elapso sæculo ortum habuisse perhibetur. Capuccinis ab anno mdcxii. editiori situ ad eandem oram laxior cessit planities, ubi aptissimus instituto Conventus, collato civium ære constructus, hodie assurgit. S. Mariæ de Monte Carmelo Fratres, ejusdem Deiparæ titulo, frequenti loco incolunt, quorum Cœnobium tertium in provincia constitutum. S. Francisci de Paula demum Ascetæ mdcv. occiduas post

post S. Salvatoris clivum extremas regiones occuparunt, ibique nunc sat commodas possident ædes, cum splendida Ecclesia. Presbyteris in sæculo degentibus duplex domus designatur, ut S. Philippi Nerii institutis inhæreant, & piis exercitiis vacent; est autem una Montis Calvarii titulo, in edito ad septentriones colle cum decenti sacro oratorio; altera circa extremas oras in austrum, S. Luciae V. & M. nomenclatura sub S. Michaelis Parochia surgit.

Sacras Virgines tria fovent Archisteria : S. Dominicę primum ac vetustius, mediam civitatem exornat, sub B. Benedicti regula, cui servandæ sedulo illius ex primaria nobilitate incumbunt alumnae. S. Blasii titulum refert secundum, & declivi ad austrum situ sedet cum ampla area ante Ecclesiam, servatque exactissimè ejusdem S. Benedicti præcepta. Tertium S. Vincentii Martyris auspiciis insigne, a S. Marię basilica haud procul, ædificiis expositum, & Dominicanis addictum statutis, religiosæ perfectionis est speculum. Ad puellas sequioris conditionis educandas supra S. Dominicę claustra Ginecæum Collegii Mariani titulo spectatur. Hospitalis denique domus a S. Blasio haud procul, pro infirmis & peregrinis curandis, fovendisque, & Pietatis Mons, quem Nobiles administrant sodales, ad pauperum levamen, eximiam civium religionem commendant. Filiales porro Ecclesię sodalitiis potiori parte etiam instructæ, supra L. enumerantur, quas inter S. Benedicti effulget, ubi olim ejusdem Patriarchę Monachos ab anno mccc. vixisse, in meis Notitiis lib: iv. *Sicilia Sacra* ostendi; quumque ejusdem regimen Thomas Massolinus Prioris munere haberet, cupiens hic ad regulæ instituta extra urbem cum suis vivere, locum juxta fluminiis

minis alveum, Siculis *flumariam*, ad III. circiter lapidem disjunctum, obtinuit, ac dotem ab Leonardo Salamone MCCCLXXIII. exoravit, ibique S. Mariæ de Auxilio, & S. Benedicti auspiciis Coenobium condidit. Durant hodie Monasticæ habitationis vestigia cum Ecclesia, quam Prioratus dignitate ad hæc usque tempora decoratam, ex Apostolica, ac Messanenſis Archiepiscopi collatione, dudum complures obtinuisse Notit: 19. laudati lib: IV. demonstravi, nunc vero Regiæ Præsentationis effecta cum annuo Scut: ccl. proventu administratur. Comitibus Prior non interest.

Jam de privatis civium ædibus, Nobilium præfertim, in quibus elegantia minime desideratur, longum esset differere. Eminent illa ad austrum, cunctis obvia, in qua Carolus V. Cæsar, Panormo iter Messanam instituens exceptus dicitur. Ingenuas cætero familias, quæ ex primaria Sicula nobilitate Dynastiis, ac Feudis distinctæ, splendide satis *Nicosia* inhabitant, hic etiam præteream, ut brevitati, cui maxime studeo, consulam. Ex his Magistratus a Regiis Consularibus adligitur, Præfectus criminum, Jurati Patres, qui Senatus titulum assecuti dicuntur; eo licet hodie in publicis Regni libris non utantur, & in communi consilio loco xx. sedent; Syndicus, item & Regius Procurator vulgo *Secretus*. Patronum præcipuum S. Nicolaum *Nicosini* venerantur, & si S. Lucam Casalium Abbatem, & civem tutelarem quoque colere non desinant, Lares sæculi XVI. medio 2514. habebant, & circa ejusdem exitum in focis 3127. animæ censebantur 13034. Sequenti, licet XXIV. anno ex pestilenti lue supra 2. M. civium perierint, foci erant 3962. capita vero 11959. Decurrentis anno XIII. lares 3167. animæ 11799. sed in novissima lustratione 10787. sunt computatæ.

putata. Comarchiæ caput *Nicosia*, ad S. Philadelphi militarem Præfecturam spectabat, equitibus XLIV. pedibus CCXXVII. respondebat. In Messanenſi demum diœceſi quarta enumeratur, cujus Archiepiſcopi Vicario, & Viſitatori Clerus ſubditur.

De origine plura feruntur: Cajetanus recens opidum appellat, ab Rogerio Comite fundatum in *Animadverſ. ad SS. Sicul. Vitas*. Fazellus ingens, & populofum dicit, quod *Lombardi, & Galli* cum Rogerio *Siciliæ Comite* in *Siciliam* adveſti, promiſcui inhabitaverunt; ejuſ etiam incolæ ſermone *Lombardo, & Gallico, & ſi corrupte utuntur*. *Nicoſiani*, proſequitur, utriuſque ſexus id etiam habent inſigne, quod proceritate corporis, ſimul & oris forma, vulcuque in univerſum ſere *Siculis præſtant, & Francorum, Normannorumque, & Lombardorum, quorum ſunt colonia, eos eſſe ſobolem oſtenditur*. Verum Cluverius, Aretius, ipſeque Cajetanus, & alii ex *Herbitæ* ruinis creviſſe *Nicoſiam* adſtruunt. Alibi de *Herbita* Ego loquens pluribus oſtendere conatus ſum, ejuſdem ſitum a *Nicoſia* haud procul eo loci ſtatuendum eſſe, ubi veteris dirutæ civitatis extant rudera, ab incolis vulgo *Casalini* appellata, & S. Mariæ de Vaccara Eccleſia, cum diruto S. *Benedicti* Moaſterio ſpectatur. Eorum ſententiæ, inquit Cluverius lib. 2. ſubſcribendum cenſeo, qui *Herbitam* nunc interpretantur eſſe *Nicoſiam* opidum, *Enna, Aſſoro, Agyrio, & Capitia* conterminum. Aretius *Nicoſia* nomen incertum eſſet, niſi conjectura, quam *Herbitam* antiquitus appellabant, honeſtam, & copioſam civitatem eſſe dicerent; Alii a proximo loco *Casalini* nomine illuc eam translataſe ajunt, a qua haud procul *Sperlinga* arx in rupe. Opidum, ubi antiquitus fuiſſe;

quod

quod ruinae, atque antiquitatis adhuc visuntur vestigia, vicini populi testantur. Concluditque his recitatis ex Aretio Claverius: *Hæc igitur potius antiquorum illa Herbita, ex cujus interitu postea crevit Nicosia*. Benedictus Passafumine de Orig: Ecclesiæ Cephalæditanæ, Josephi Meletii affert opinionem dicentis: *Herbita S. Nicolaus, nunc Nicosia*. Scriptores præterea genticos id ipsum firmantes, illudque concludo: Rogerium Comitem opidum jam pridem inhabitatum, Langobardorum, quibus Militiæ vacationem, post subactam insulam concessit, colonia auxisse, atque arce validius munita, sive, uti alii dicunt, noviter constructa, sub qua primi conveniant incolæ, celebrius reddidisse. Hinc S. Mariæ templum, ac S. Nicolai ædem sacram sub eadem arce construxisse, & hanc Græcis attributam eorum ritu additam voluisse. Felicia subinde auspicia opidum, majusque in dies incrementum quum accepisset, in occiduas collis plagas longe, ac late sese extendit; Novam idcirco S. Nicolao Patrono Basilicam cives moliti, circa Willelmi II. Regis tempora, uti ex veteri epigrapha colligo, marmoris insculpta, in qua **MCLXXX.** annum adnotatum comperio, huic nomen dare etiam ceperunt, factumque processu temporis, uti duæ Majores, vulgo Matres Ecclesiæ coalescerent, quod supra adnotavi.

Sub Gallis Nicolai Capicii opera, cum aliis insulæ civitatibus Conradini Regis partibus adhæsit, quo tandem pereunte, rursus in illorum venit potestatem. In Censu Friderici II. Aragonensis *Nicosia* proventus ad Michaelem de Berga militem spectabant; Pendebat hinc Curix auri uncias **CLX.** Civilibus per insulam bellis exardescens Claromontani opido

opido nostro potiti, diu illud sibi vindicarunt. Jacobus præsertim ex eadem gente, qui, ut sibi adherentes in officio contineret, aureis numismatis *Nicosiæ* cusis, liberalissime eos donabat. Hujusmodi hinc monetæ *Jacobinæ* diu sunt appellatæ. Verum non diu Cives jugum excussere, pulsamque Jacobum in arcem compulerunt, quo statim Rex Ludovicus ab eisdem evocatus adfuit, Regioque honore exceptus est; Quumque arcem magnis viribus aggressus expugnatum difficilem cerneret, Rogerium Theutonicum, militem strenuum in suum suffecit locum, ac Catanam se recepit. Non multo post Jacobus suis diffidens viribus, arcis deditioem Rogerio fecit, ac Spirlingam concessit. Caroli V. Cæsaris præsentia anno MDXXXVII. honorari meruit, uti superius innui; sequentis vero sæculi anno XXIV. pestilenti morbo, qui universam pene insulam afflixit, vexata, supra .x. m. civium omnis conditionis, ætatisque, & sexus amisit; Carolo II. Rege, Annæ Reginae, ac Regnorum Administratricis literis meruit honorari, quibus Senatus titulo illius *Conscripti Patres* compellantur; quod in aliis Joannis Austriaci, & Victorii Amedei etiam factum perhibent. Non diu post, ingenti alluvione, S. Lucæ regio, quæ in austrum & occasum stabat, terra subsidente labefactata, majori ex parte corrui. Novissimè MDCCCLVI. soli ad jugera XVIII. chasmate, S. Crucis Parochia, & circumstantes ædes, Major S. Mariæ Ecclesia, eiusque regionis non levis portio pene absortæ periere. In utroque porro opidi excidio ex viventibus desideratus est nemo.

Nicosiensis agri fertilitas nulli alteri decedit, messesque opimas singulo ferme anno tribuit, & Baccho non ingratus vindemias uberes fert. Fructibus etiam

scelix, ac pascuis dives, augendis gregibus & armentis aptissimus confetur. Memorantur ab urbe haud procul *Petra Massari*, & *Rocca Palta*, rupes nempe inaccessæ; Nec cryptæ defunt ingentes, vetustæ habitationis indicia. In plaga de *Canalotto* appellata, ad montis S. Joannis radices, fons perennis aquæ manat, ac limpida, lactei saporis, in cujus superficie oleosi globuli innatant, qui summo mane collecti in massam coeunt bituminis in tur, & morbis cutaneis curandis adhibentur. In fluminis alveo, & alibi lapides crescunt durissimi, metallo haud ab similes; his autem pustulæ veluti adhærent, quæ *Marcaffita* & æris, attentis pondere & colore, esse creduntur; in grana sepiissime ab ipso lapide discretæ occurrentes. Tum lapis vero, tum grana, ubi vasculo fusorio admota igne probantur, in fumum evanescunt sulfureum, nec nisi scoriam relinquunt. Granis hisce concreti sulphuris abundat etiam ejusdem fluminis, quod *Salsum* est orientale, alveus, sub Agyrensi opido; unde ad Me passim delata, atque in Museo inter naturæ opera reposita. Est *Nicosia* latitudo grad: xxxvii. xxxv. longitudo pene xxxviii.

Cives huc tandem, quæ morum innocentia, quæ præcipuis dignitatum tesseris, quæ literis, & scientiis conspicuos in seriem reponam. Hanc autem primus exornat S. Leo II. Romanus Pontifex Siculus ortu, Herbitensis ex Paulo Diacono, & civicis Scriptoribus; ab aliis licet præcipuis urbibus suis accensus. S. Lucas Casalibus, ex Leone, & Theotista nobilibus, piisque parentibus, S. Philippi Agyrensis Monasterii Abbas, ibi post præclara virtutum exempla, ante Saracenorum tyrannidem ad cælos evocatus. Cajetanus, qui vitæ acta refert, sub Northmannis statuit. De

eo etiam **Pirrus**, Aprilis, & Ego in *Monasticis Sicilia Notitiis*, aliique Siculi Agiographi. **Vincentius Ferrus**, Minor Reformatus, insignis abſtinentiæ, manſuetudinis, humilitatis, & contemplationis aſceta, Deiparæ addiſtiſſimus, a qua obitus ſui horam edoſtus in **S. Mariæ Angelorum Panormi** mdc1. piſſimè requievit. Miraculis a Deo illuſtratum produunt **Arturus**, **Gravina**, **Cumbonus** & **Tognoletus**. **Antonius Brunus** ejuſdem inſtituti Laicus, in edomando corpore ſingularis; die, noctuque ſacris precationibus intentus; Solitudinis, ſilentii, humilitatis & aliarum virtutum cultor; prophetia, ac miraculorum dono clarifiſimus, Panormi mdcxxii. ſanctè deſunctus, magnaue omnium ordinum frequentia in **S. Maria de Jeſu** elatus. **Franciſcus Cali** in ſæculo nobilis, ex **Minoribus Obſervantibus** primum, vitæ ſanctimonia, & ſcientiarum peritia floruit, diſcipuloſque **Bonaveturam Secuſum**, & **Archangelum Gualterum**, celebres in **Sicilia** pontifices inſtituit. Ad **Reformatos**, majoris perfectionis ſtudio, quum tranſiſſet, præcipuis in provincia muniis perfunctus, ob morum ſimplicitatem, & innocentiam omnibus, ac viris vel maxime principibus acceptus. Senex Panormi mdcxx. in Domino obdormiit. De quo plura **Tognoletus**, qui celebriores alios **Danielem Bellonem**, **Bartholomæum Chiavettam**, & ſocios, peſte aſſatis civibus inſerviando immortalis; **Carolus**, & **Humilem** Laicos pluribus commendat. **Vitalis Capuccinus** Laicus e vitiorum ceno emergens, ad ſacrum religionis portum confugit, ubi auſterioris vitæ exemplis effulſit, & coeleſtibus oſtentis a Deo recreari meruit. Conſule ejuſdem Ordinis annales authore **Boverio**, & **Aprilem**, qui puræ lucis figuræ animam ejuſ ad patriam evoluiſſe tradunt. **Vitus** ex

Minoribus Conventualibus laicus etiam, cujus egregias virtutes pluribus Cagliola enarrat.

Antonius Cancellarius patriæ Archipresbyter, hinc Philippi Regis literis, cui illius merita, generisque elegantia satis nota, ad Messanæ Archiepiscopatum delectus, Pii IV. decreto MDLXIV. inauguratur, & quadriennio post mundo eximitur. Marcus Antonius Gussius avorum gloria clarus, moribus & doctrina illustrior, Regios inter Capellanos Matriti adscriptus, Mandanicii & Troinæ Abbas, Cephalædensis mox Episcopus, tandemque Catanæ. Ecclesiasticæ libertatis vindex, zelo animarum, munificentia in pauperes, erga egrotos in nosocomiis propenso amore præcipuus; multis pro sibi commissis Ecclesiis promotis operibus, e vivis MDC. eripitur. Franciscus Testa ortu nobilissimus, Juris Cæsarei, & Canonici emeritus professor, cui aliquando Panormi operam navavit; e foro ad Ecclesiam confugiens, brevi in Canonicum Metropolitanæ ejusdem cooptatus, vacante sede, optime illam administravit. Pro vitæ ac doctrinæ eximiis meritis ad Syracusanam Cathedram, indeque ad Monregalensem Archiepiscopatum assumptus, Supremus Quæstor Fidei renunciatur. Vivit ad majora, gregis sibi commissi & Ecclesiæ suæ bono; huic enim cultu magnificentiori concinnandæ intentus, nova quotidie ex argento, & marmore, ac textrino Persico opere molitur; illum largissimis eleemosynis, nequidem necessariis in proprios usus relictis, perpetuo fovet; suis ipse manibus pascit; verbo & exemplo ad salutaria dirigit. Cleri forma factus ex animo, nihil ad ejusdem decus promovendam, restamque institutionem, novis ephebeis, scholisque fundatis omittit. Ast ne cætera prosequar, vir modestissimus stylo
manus

manus inijcit. Edidit de pestilenti lue, quæ Messanam afflavit Historiam, ad Siciliae Regni Statuta Præfationes, & Notas. Homilias, & Orationes &c. Antonius Sbret Decanus, & Canonicus Messanensis Ecclesiæ S. Mariæ de Auxilio in patria Prior, & S. Michaelis de Fulgerino Abbas. Ejus meminit Pirrus lib: xv. Nicolaus Sabia Juris-Consultus non vulgaris, qui præcipuas obtinuit in foro præfecturas. Josephus Planfonus S. Eliæ de Troyna Abbas. Laudatur a Mongitore in *Biblioth: Sicula* ob vulgata opuscula. Nicolaus Minor Reformatus, qui ex Gonsaga, & Passaflumine Scoti libros in Salmaticensi Academia publicè pro rostris maxima dexteritate interpretatus est. Ægidius ejusdem instituti, zelo, & prudentia præditus, Generalis in Romana Curia suorum Procurator, & Siculae Provinciæ bis Rector. Antonius Cotonius Tertii Ordinis Minorum insignis Theologus. Romæ primum suis alumnis vix iv. lustrum egressus, solidiores scientias tradidit, Patavii mox publicus Methaphysicæ ad annos xviii. Professor, sapientum admirationem excitavit. Redux in Urbem Summis Pontificibus, S. R. E. Cardinalibus, ac viris principibus acceptissimus, eorum nonnullis ab intimis consiliis, & conscientia secretis fuit. Ordinis Generalis Procurator, & perpetuus Regens, S. Nicolai de Arenula Collegium instituit. Sed & mores, ac totius vitæ acta ad religiosam normam exacte quum direxisset, pie ibidem MDCLXXXII. decessit. Consule illius elogium a Mongitore exaratum, qui egregia opera ab eo typis edita recenset. Marcellus Capra Philosophus, & Medicus celeberrimus, ad salutis suæ custodiam ab Joanne Austriaco adlectus, quum foederatæ Classis hic contra Turcas supremus Dux, in Græciam con-

contenderet . Publici juris fecit complura opuscula , ab eodem Mongitore laudata . Petrus Vincius Musicę facultatis egregius professor , totaque pene Europa , quam obivit , celebratus , uti ejus elucubrationes , quę adhuc passim vulgantur , fatis demonstrant . Martinus Ciaurellus Poeta non vulgaris , laudatur a Mongitore . Josephus Villardita Gladiatorię artis peritissimus , cujus specimen publicę luci exposuit . Josephus Nicosia , Sancti Jaymi dynasta , vir apprime eruditus , ac in rebus naturalibus versatus , vulgavit de Cultura , & plantarum Insitione librum . Gabriel Bonomo ex Minimis Paulensibus Lector Jubilatus , & Provincię Pręfectus , Mathematicis instructissimus , quas diu Panormi summo auditorum plausu explanavit . Peregrina quędam ad eas spectantes in publicum emisit , celebraturque de novo Automato Horario Inequali opus . Paucis ab hinc decessit . Sed claudat seriem Alexander Testa , Archiepiscopi Francisci germanus frater , Jurisprudentię ætate nostræ lumen ; meritisque idcirco honoribus in foro Siculo donatus ; Fisci enim Patronum in Regię Monarchię Tribunali egit ; in Prætoria , & Concistorii aulis Judex , brevi mox in M. R. Curię subsellio fedit , quod munus dum egregiè administraret , ut morbo diutino levaretur , in patriam contendens , ibi extremo fato interceptus , in S. Nicolai æde maxima nobili e marmore urna tumulatur . Ejusdem Orationes eruditorum teruntur manibus .

NISSORIA amplissimus ager , quem Salsus amnis orientalis abluit inter Agyrium , & Nicosiam . Hodie novo opidulo est auctus circa supremas oras , quod medium sedet eidem Agyrio , & Leonforti , de quibus in valle Neti . Videtur hinc & *Nissoria* recens ,

ceus, eidem valli adjudicanda; at quum agri pars potior ad Demanensem spectet, & vetus ejusdem Massa in tumulo ad sinistram Salsi ripam cum colorum ædibus adhuc perduret, ad Demanensem revocavi. De Vicus denique condita varia cum vicinis intercessere jurgia, nec nisi ante biennium Regio decreto facultas concessa. In publica occurrit via, cum Parochia, patenei, æqualique solo concinnatus. Juris est Calatanissetæ Comitum, de quo alibi.

NOÆ Opidulum vetus Stephano, Svide, & Favorino memoratum, cujus opidani Plinio in mediterraneis sunt *Noeni*, aliis vero *Noxi*, & Latinis *Noenses*.

NOARA Opidum. Cluverius lib: 2. cap: 12. *Ultra Caladlam*, ait, *inter Cantaram, & Oliverium omnes, qua Neptunio monti junguntur Junonia juga, opidum vulgari nunc est vocabulo Noara. Id suo nomine servare videtur antiqui opidi Noæ.* Sed an *Noæ* ad fera usque Northmannorum tempora perstiterint, affirmare non auferim. Langobardos ceterò, qui sub Rogerio Comite meruerant, colonos habuit *Noara*; est quod a *Noaria* Langobardiæ urbe nomen invenit, juxta nonnullos, quum *Noæ* vetus in Sicilia opidum extiterit, non videtur procedere. Tumulo ingens, altissima, atque inaccessi incubat rupes, se sola constans, *Salvatesti* vulgo appellata, cujus undique conspicuus est vertex. Sub ea ad ii. circiter pass. v. vetus S. Mariæ Cisterciense Coenobium a S. Hugone primo ejusdem conditore, & Abbate vocabulum habens, sedet, brevi intervallo antiqua opidi jacet regio *Mitarussa*, cujus incolæ Langobardo corrupto adhuc idionate utuntur; hinc in declivi situ Major basilica, unica parochialis, sub Archi-

chipresbytero, Deiparæ in Cœlum Assumptę sacra subrigitur, non inelegans; Infra, S. Georgii Martyris præcipui Opidanorum Patroni splendida Ecclesiæ cum adnexo Augustiniano Fratrum discalceatorum decenti Cœnobio; nec procul S. Philippi Nerei institutis inherens domus, sacrę edi, Deiparæ titulo insignitæ adjuncta. In foro largus aquarum in fonte e marmore elaborato emanat latex, unde cives abunde hauriunt. Per reliquum porro opidum minores Ecclesiæ XII. incolarum fovent pietatem. Horum census in focis 474. sæculo XVI. capita exhibuit 2618. Insequentis medio focos 908. capita 3559. Decurrente lares 1048. animas 3945. nuper denique 5222. Dominio subsunt Ducum Andegavensium inclitę gentis Joenię ex postrema cum Columnis conventionē; qui Magistratus designant, sed mero & mixto imperio privantur, ac Magnæ Curię Consularibus idcirco jus gladii committitur. Pactarum tum Comarchia, tum militari præfectura *Noara* comprehenditur, & Dięcesis Messanensis est pars. Clero hinc Archiepiscopi Vicarius præest. De S. Hugonis Monasterio mox dicam.

De Dynastis hæc habeo: Post Aragonensium initum insulæ regimen; (anteactis enim temporibus sub immediato Regis imperio *Noaram* stetisse conjicio) Jacobo I. Petri Aragonensis filio, *Rogerus de Lauria* magnus Architalassus opido potiebatur, quo ab officiis sub Friderico Jacobi fratre recedente, *Matthæus Palicius* est assecutus, sollemnique Petri II. inaugurationis die Comitibus *Noaræ* vexillo donatur. Ubi hic ex insula pulsus extitit, *Joannis Infantis* Randatii Marchionis juris illa fuit; sed mox ut rediit, ad primos revocatus honores dynastiam accepit; atque ad annum MCCCIII. quo tandem est interfectus, tenuit.

Tunc

Tunc Friderico III. annuente, *Vinciguerra Aragonia* defertur, quumque ad venationis delicias aptissimus ejusdem ager haberetur, Rex idem *Noara* loco Tortoricium *Vinciguerra* attribuit. Verum non diu rursus *Alagoniis* conceditur, qui a Martino Rege descientes mox amisere. Anno mcccxcii. Princeps hic *Raymundum Montecatinum*, ejusque uxorem *Beatricem Noara* dominos renunciavit; quod esset *Beatrix* Joannis de *Alagona*, & *Isabelle Palicia* filia. *Isabella* vero ex *Matthæo* progenita, ad quem olim *Noara* spectabat. Verum *Raymundus* Regio excusso jugo bonis privatur, opidumque nostrum *Bartholomeo Joenio* cessit; hinc in Comitibus *Syracusanis Noara Joenio* subjecta renunciatur, cujus hæredes, *Castri Leonis* etiam dynastas, de hoc opido loquens, expendi. Quum porro *Duces Andegavenses* *Duci de Paliano* gentis *Columnæ* de bonis *Joeniæ* familiæ, cujus hic hæres fuit, uti ibidem dixi, litem intentaret, *Noara* ex conventionem illis est designata, votum idcirco xvi. in Regni consilio proferunt.

Ager *Noarenfis* saltibus scatet, & venationi jucundæ aptissimus audit; *Moris* constitus, & *olivis*, *serici* dives evadit, & oleo satis abundat, reliqua vero ad vitæ necessitates incolis suppetit. Latitudini grad: xxxviii. pene respondet, & longitudini xxxviii. l. quumque in montanis jaceat, rigentis hyemis incommodis subest. *Julium de Campo* poetam ludricum, *Noara* ortum commendant *Galeanus*, & *Mongitore*. *Guillelmus S. Mariæ de Noara* anno mcccxcvi. Abbatem agebat. An alii illius præcessores cives quoque fuerint incertum. De eo in *Monasticis Notitiis* actum.

NOARÆ Monasterium sub S. Mariæ Annunciatæ
T. III. P. II. R titulo

titulo, & S. Hugonis nomine passim, Cisterciensis ordinis Abbatia decoratum S. Bernardo adscribitur, qui Rogerii Regis precibus suos in Siciliam Monachos direxit semel & iterum, uti ejusdem Sancti Epist: 108. & 209. constat. Primę autem colonię ductorem destinavit ille Hugonem, ex discipulis suis sanctimonia, & prudentia præcipuum; secundę vero Brunonem. Hugo porro *Noarę* constitutus, Monasterii initia consecravit; Sanctorum quippe albo adscriptus ab Siculis Agiographis, aliisque Cisterciensis familię scriptoribus. perhibetur. Discipulos habuit Hugo Paulum, & Eligium e Cistercio secum in Siciliam delatos, quos sibi successores ordinavit. Monasterii situs sub rupe *Salvate-si* supra opidum, cujus rudera adhuc perseverant; recens enim ameniori loco, & edificiis non ignobile cū peristylio columnis suffulto, ac decentissima Ecclesia circa opidum perstat. Sed summa est adhuc in veneratione, ob S. Abbatis memoriam, vetus illa habitatio, ac longe etiam conspect: devotissime a viatoribus salutatur. Opidanorum Tutelaris Hugo sæpe ab illis in presenti discrimine invocatur, & supplicatione ad ejus sepulchrum instituta, sacroque Capite e Monasterio ad majorem Ecclesiam translato, optatis mirabiliter adest. Servatur enim in Cœnobii sacrario integrum pene corpus, de quo dixi in *Monast. Notit:*

Dotem Monasterio pinguisssimam idem Rogerius constituit; Bartholomæus de Luce subinde auxit. Hugoni, uti innui, Paulus & Eligius, hisque alii ex ordine assumpti, subrogati ad annum mccccxcii. fuere, postremusque Petrus de Luna ad Messanensem sedem evectus, Joanni de Puiades Randatiensi locum cessit, hicque primus idcirco Commendatarius m cvi. censetur. Variis S. Rom: Eccl: Cardinalibus ad duo circiter

citer sæcula Abbatia commissa, hodie Hieronymi Columnæ, qui sacra decoratur purpura, inspectioni subest. Monachi Cistercienses viii famulatum Deo adhuc exhibent. S. Marię de Stella, seu Spanò, de qua inferius, Monasterium illi quoque unitur; reddunt hinc utriusque census Abbati supra scutata ii. m. & in Regni Consilio locus illi xix. debetur.

NOCILLA Collis in Ætna circa radices ad austrum, a quo haud procul an: mdcclxix. ignis vorago aperta, unde densissimi fumi globi erumpebant. Sed hæc post dies occlusa quievit.

NOMÆ Vetustum Sicilię opidum, cujus apud Diodorum extare mentionem alibi dixi, prope Syracusas locatum, illud adstruens. Sed enim, uti adverti, in Valle Netina, fortasse Diodorus *Menas* ibi scripserat, & amanuensium vitio *Nomas* irrepsit. Silius illam cum *Amastra*, conjungit, hodie *Mistretta*, illis verbis: *Comitata Nomæis venit Amastra divis*, ubi veluti foederatas urbes illas agnovit, ambarumque populos conjunctis viribus suppetias Romanis tulisse dixit. Quocirca ab *Amastra* haud procul locunde *Nomæ* videntur. Novissimè in Engytano agro antiqui opidi rudera Gandolfus Bongiorno, vir apprime eruditus detexit, & *Herbula*, cujus gentiles Plinius memorat lib. 8. reliquias esse, conjecturis agens, vulgavit. Montosus enim locus, *Arbochia* vulgo appellatus, de *Herbula* ob nominis affinitatem, dat cogitare. Apud rusticos aliunde, *Arburam* ibi opidum stetisse, traditio inolevit. Mœnibus cingebatur ad iv. stadia; cisternæ occurrunt frequentes; ac turris a Balneis vocatæ vestigia; sepulchra veterum more, extra, lucernæ fistiles, vasculi, numismata, inscript Græcis literis, sed in frustra lapides deteguntur. Q13

sane omnia de vetusto opido nos admonent; ac de *Herbula* non levia præbent indicia. Nihilominus an *Nomæ* fuerint, quum ab *Amastra* non longe inde diffideant, dubitandi ansam relinquunt, sed rem meliori iudicio remitto.

NOVALUX S. Mariæ Benedictinum Cœnobium olim, ac vetustissima sacra ædes in colle ad hibernum Catanæ occasum pass. m. vix distita; Templi *Novalucis* primaria origo, quæ cc. circiter annos Monasterii foundationom præcessit, Catanensium pietati, ingenti prodigio, ac maximo Deiparæ Virginis beneficio excitæ tribuitur. Quum enim anno MCLXVIII. die 14. Februarii non levis terræmotus Catanam a fundamentis excussisset, ac magnam civium partem ædificiorum in ruinis oppressisset, qui erant residui, ad præta confugientes, collem proximum subire, in cuius vertice lucis indicio, Deiparæ imaginem humili loculo substructam inveniunt, conceptaque salutis opinione, eidem SS. Matri, uti angustia temporis patiebatur, templum ibi sub invocatione *Novalucis* excitant, quod in magna semper extitit apud illos veneratione ad MCLXVII. Hoc enim anno Artalis de Alagona Mistrettæ Comes, Siciliæ Magister Justitarius, Ecclesia instaurata, conditoque prope eam Cœnobio, Monachis Carthusiensibus, e S. Stephano in Calabria evocatis, illud attribuit, dote congrua designata. Prima, & unica per Siciliam illorum colonia hæc nostra fuit, ejusque Prior Ambrosius de Fonte renunciatus, quum XI. post anno variis interventibus causis, resignandum regimen e re sua, & ad Ordinis commodum spectare duceret, Cœnobium in Episcopi Catanensis, & Artalis manus commendavit. Simon Episcopus Artalisque S. Agathæ Monachos in illud indu-

inducentes, ad S. Benedicti leges traduxere, & primo Abbate Joanne Catanensi, provido, ac discreto viro constituto, bonis aliis, privilegiis, atque exemptionibus auxerunt. Dum eidem Matthæus de Pompejo præflet Abbas, S. Mariæ de Scalis in opido Paternionis veteris, ac celebris Monasterii cum nostro unionem Paulus II. Rom: Pont: anno mccccclxiv. jussit. Post Joannis de Paternione mortem, qui v. Abbas in ordine fuerat, Joanni de Caprera Cæsar-Augustano commendatur anno mdxii. Perstitere Benedictini Monachi suo sub Priore ad annum mdxliii. quibus Terefanos Fratres Ægidius Castillus Alburnotius S. R. E. Card: tunc Abbas subrogavit; sed & his Augustinieneses Excalceati post octennium succedere. Quum verò ex terræmotu Cœnobium, & Ecclesia in præceps abiissent, elapsi sæculi anno xciii. acrisque inclementia locus insuper laboraret, de novo condendo ad orientalem Catanæ plagam cogitatum.

Igitur Constantino Gallerati Abbate adnitente, congruo delecto situ, translatio effectum sortita est; hodieque decentissimæ pro Monachis, ac satis amplæ consurgunt ædes; Templum elegans majori ex parte promotum, supremum expectat complementum. Floruit in illo Euty chius a S. Flavia Catanensis, dudum Prior Generalis, morum integritate, modestia, aliisque religiosis virtutibus præditus, scientia, eruditione, ac sacrorum Canonum peritia nulli nostra ætate secundus, qui in ejus molitione non leviter sua desudavit industria, quemve nuper sublatum indoluimus. Hodiernus Abbas Josephus Nasellus ex Gelæ Ducibus, Major Exercitus Regii Capellanus, professione Clericus Regularis, meritis, & doctrina commendatus, profert in Comitibus loco xlviij. votum.

NOVA

NOVA TURRIS sub arce Scalettæ, Specula in freto, VIII. pass. m. Messana diffidens inter Jampileris, & Pezoli fluenta. Alia ejusdem nominis inter Tortoricis, & Rosmarini amnium ostia surgit, quæ & ipsa in septentrionali littore est Specula.

NUCITUS Fluvius, *Melas* veteribus, & *Facellinus* ex mente Cluverii, ab aquarum nigredine, atque ab Dianæ Facellinæ templo appellatus, de quibus dixi. Oritur sub Rametta, Monforte, & Sancto Petro, aquasque agri de Pace excipit; ostium denique aperit in Septentrionali Siciliæ ora sub Mylis, quæ ortum urbs hæc respicere dicitur.

NYMPHARUM LUCUS, memoratur Diodoro, ubi Heræos describit montes, de quo alibi. Vide *Nebrodes Mons*. Hodie vernacule locus dicitur: *Piano della Battaglia, e Battagliella*.

NYSA Vetus opidum, sive Castellum frustra ab Atheniensibus, teste Thucydide lib: 4. obsidione tentatum. Fazellus in ora septentrionali locatum adstruit, ex ipso Atheniensium navigationis cursu, ubi hodie Nafus; sed enim circa orientales plagas potius ex ea navigatione *Nysam* stetisse colligitur. Postquam enim Mylas, Messanamque Athenienses ex deditioe accepissent, *Nysam* oppugnandam susceperunt contra Syracusanos mox ducturi, unde fedè fugati dicuntur. Inter Messanam igitur, & Syracusas *Nysa* surgebat, eo loci, ubi *Nysi* fluminis fontes sunt. Cluverius nullam *Nysam*, fuisse ait, seu *Nessam*. Thucydides hinc tradens: Athenienses aggressos fuisse *Nessam*, Siculum opidulum, *cujus arcem Syracusani tenebant*, haud dubio scripserat *Inessam*; idem *Ætnam*, quæ urbs ad *Ætnæ* montis australis radices, ac mediterranea erat. Sed enim quo pacto Græci *Ætnam*

Ætnam opidum, olim Inessam, inexpugnatis aliis arcibus, Tauromenio scilicet, Calli poli, & Naxo, quæ Messanam inter, & Inessam sitæ erant, obsidendam suscepissent? An veterum belli leges, ab recentiorum diversæ? Quid cum mediterraneis Syracusanorum præsidiis, inito vix bello, Classariis Atheniensibus? *Nysa*, de qua dixi, ad fluminis cognominis fontes, contra, vix pass: m. iii. ab ora maritima distita, loco munitissimo cum arce imposita, oppugnari ab illis jure debuit ad hostium vires enervandas. Coetero Phao-nem Lesbium Saffi, celebris poetriæ amasium *Nysam* incoluisse nostram, innuere Ovidius videtur illis ver-bis in ejusdem Saffi Epistola, uti Aretius, Mauroly-cus, Adria, Vossius, aliique innuunt:

Nysiades Matres, Nysidiasque nurus.

Cecinit enim paullo ante:

Nunc tibi Sicelides veniunt nova præda Puella.

Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.

Alibi Poeta *Nysiades Matres* intellexit Bacchi, seu Dionysii nutrices, hic de *Nysæ* Siculæ loqui fe-minis non incongruè creditur. Vide de *Flumine Dionysii* supra.





GNINA. Aliis *Ongia*, & vulgi voce *Lognina*, Statio in orientali Catanensi littore cum veteri turri specula, & Ecclesia Deiparæ sub Nativitatis titulo sacra, tabernisque hospitatoriis, ac nautarum domiciliis. Passim pars creditur Portus Ulyssæi, sinusque ejusdem aquilonaris; haud procul enim insula, cujus meminit Homerus, ori portus obtendebatur, antequam Ætnæ montis incendio, ac lapidea ejusdem congerie obrutus ille periit. Abbatia porro titulum Ecclesia refert, cujus collatio hodie ad Regem spectat. De Ulyssis Portu infra. Nomen loco appictum fabulantur ab *Ognia*, seu *Ongia* veteris superstitionis Dea, Saturni filia, antiquissimæ Epigraphæ, sed subdititiæ sublestam fidem sequuti, quam post Carreram, & Grossum refert Massa, rejecitque Gualterius. Est ceterò in Syracusana ora, altera ejusdem appellationis statio, adeoque Sarracenicæ originis vocabulum putatur.

OLEOMANDRIS Opidulum. Vide *Guidomandris*.

OLIVERIS Amnis, ejusdem nominis Promontorium, Sinus, & Vicus cum celebri Arce. De Amne autem supra egi, ubi de *Helicone*. Promontorium medium ferme inter Calavæ, & Mylarum capita, brevi admodum tractu in mare excurrentis, Sinum denominat nautis formidabilem, cujus sunt brachia Mylense ad orientem, & Calava ad occasum, ipse quippe in septentriones respicit, Æoliasque insulas habet oppositas. Promontorium porro a Castello cognomine nuncupatur, quod rupem occupat mari prominentem,

tem, & vicum hodie circumpositum habet cum Parochia Inmaculato Dei Matris Conceptui sacra Messanenſis Diœceſis pars. Subeſt Arx, & vicus Ludovico Paratori, & Baſilotta Tripis domino, & Paſtarum Principi cum Cetaria; olim Vicus ſub Friderico II. juris erat *Ferrarii de Abellis*, quem anno MCCCLX. *Vinciguerra Aragonius* excepit. Reſignavit hic accepto pretio, in *Raymundi de Azuar* favorem, unde ad *Fridericum Spataſoram* devenit MCCCXVIII. in Martini Cenu memoratum. *Bartholomæus de Joenio* Regi a Secretis ſubinde obtinuit. Ab Joeniis *Franciſcus Arduinus* ex dote eſt aſſecutus anno circiter MDCVIII. Carinis Princeps nobilis gentis de *Grua* MDCL. tenebat; ſed noſtro hoc ſæculotandem ad *Paratores* congruo exſoluto pretio devenit. Cetariæ *Oliveris* in Friderici I. Cæſaris & Regis literis, Rocæamatoris Monafterii favore expeditis fit mentio. Promontorium ab *Oliverio*, uno ex Caroli Magni Ducibus dictum *Gaufridus Viterbiensis* prodit:

Mons ibi ſtat magnus, qui dicitur eſſe Rolandus

Alter Oliverius ſimili ratione vocandus.

Hæc memoranda truces conſtituere Duces.

Pro *Rolando* promontorium intelligit *Orlandi*, de quo dixi.

ONOBALA Fluvius, vulgo *Cantara*, *Alcantara*, & *Calatabiani*. Cantara enim Sarracenis eſt Pons, & ſub Calatabiano opido ponte magnifico *Onobala* trahjicitur, Sarracenis adſcripto, qui *Ætne* molibus ignitur, olim ad Promontorium uſque *Schiſon* productis ex vehementi incendio, quod ad ortivas montis radices ſibi exitum queſſivit, ante Chalcidenſes fortasse colonias, & Naxi conditum. Memoratur *Onobala* Appiano de Bello Civili lib. 5. *Taurome-*

nium delatus Caesar, præmisit, qui deditioem poscerent; quum vero præsidarii non admitterent, præternavigato flumine Onobala, & Veneris fano, ad Archagetam adpulit, precatus Deum, positis ibi castris, oppugnaturus Tauromenium. Erant porro ad Onobala sinistram cum Archagetæ statua, tum Veneris templum ad Naxum olim spectantia. Perperam Ferrarius, & Leander, aliique cum Achate, qui longe omnino in Neti Valle excurrit, Onobalam confundunt; Alter quoque est ab Acesine, seu Asine, idest Frigido, de quo actum, & paullo post Onobalam in austrum, cursum tenet. Nostri fons est Salaciatius ad Ætnæ aquilonares radices supra Randatium, excipit hinc fluminis Castrileonis, & Francavillæ aquas, quibus notabiliter augetur, & sub Calatabiano viam sibi aperiens post promontorium Schifon ad austrum in Jonium sese effundit. Æstate haud procul a littore in Regia via Messanensi, equo transmittitur, sed est trajectus difficilis.

ORLANDUM Promontorium. Vide *Caput Orlandi*.

OSTEODES Insula parva, a Mela inter Æolidas enumeratur, quæ nostræ huic Valli adjacent, & in ea computantur, sed alii rectius ab Ustica haud procul sitam eam perhibent. Vide in Valle Mazaræ.





ACHISUS Fluvius Vibio memoratus, recentioribusque Hortelio, Goltzio, Boccacio, & aliis notus. Vide *S. Lucia*.

PACTÆ Urbs Episcopalis, ac Regii Demanii, Magnanima in publicis libris, & *Pactya* olim juxta Cajetanum appellata; quod a Federibus enim cum Messana ejus deductum fuerit nomen, paucis probatur; quod Tyndaridis verò vetustissimi opidi haud procul siti, castellum dudum, atque Christianis temporibus ex hujus ruinis creverit, non inanibus firmatur conjecturis. Ejus itaque prima origo vetusta; incrementum circa Trajani Cæsaris ætatem; Tyndaridis enim excisæ Plinius meminit, qui sub Trajano vixit. Celebratur tandem post Sarracenos Rogerii Comitis virtute e Sicilia exactos; nihil perinde refert, quod non ante *mxci. Pactarum* in Regiis libris notitia eluceat. Urbs collis levi insidet declivi ad aquilonem, sed hic in orientem æstivum solem respicit, dc. circiter pass: ab ora maritima recedens. Calavæ & Oliveris promontoriis pene media, Æoliisque insulis obversa ad latitudinis gradum xxxviii. xv. longitudinis xxxviii. xlii. temperato utitur aere, navium statione non insegura, & territorio amplo satis gaudet. Caput Comarchiæ; indigenæ militiæ præfectura insignis; Aragonensium Regum stemmate distincta; mero & mixto imperio, seu gladii potestate, Alphonfi privilegio; immunitatibus, & gratiis Messanæ concessis, ex Martini I. rescripto donata; septima ex Siculis Civitatibus habetur, sed populi indiga nunc audit. Caroli V. quippe ævo focos cum casalibus, quæ subinde distincta, uti dicemus,

mus, recensuit 1256. & anno MDXCV. 1583. animas vero 5770. Anno MDCLII. lares 967. cum Surrentino municipio, capita 3513. Et si Pirrus, qui eius Ecclesiæ notitiam MDXLI tradidit, urbis lares 1719. incolas 6642. reponat; Decurrentis tandem sæculi anno XIII. in focis 369. incolas 1538. & in nupero tandem Censu 2470. computavit.

Ambitus porro pass: m. vix excedit; moenia quibus vallatur, altitudinis, & crassitiei non levis, turres per intervalla distinguunt; ac portæ non minus v. exornant, quarum tres ad suburbium aditum præbent. Arx in meridiem situ elatiori domicilium Episcopis præstat decentissimum; quoties hinc primum hi possessionem ineuntes, in illam inferunt pedem, Regio Procuratore curante, fidei jurejurando præstito, claves ea conditione accipiunt, ut Regis nomine custodiant. Surgit haud procul princeps Basilica, Rogerii Comitis opus, S. Bartholomæo Apostolo dicata, cum æris campani magnifica turri; post annum MDXCIII. quo ex terræmotu labefactata absis cum choro fuit, splendide restituta, & novissime Petri Galletti munificentia in concinniore formam redacta; tandemque Jacobi Bonanni etiam Episcopi opera fornice, marmorato, aliisque elegantis decorata. Huic adjunctum idem Rogerius, ipso foundationis initio Monachorum Coenobium sub S. Benedicti institutis voluit, quod alteri ejusdem ordinis Liparitano suffraganeum, Ambrosii Abbatis curæ commisit. Monachi idcirco ea in Ecclesia Divino cultui intendebant. Quumque sub altero Rogerio Rege utrumque Monasterium ad dignitatem fuisset Episcopalem eventum, nostra Cathedralis evasit basilica; & Monachi appellati sunt Canonici, quorum ducebat agmen
Prior

Prior Regularis . Anno postmodum *vcccxciv.* Bonifacii IX. rescripto *Pattensis* Ecclesia ab Liparitana disjuncta , peculiari Pastori suo extitit commissa, uti & Liparenfis proprium obtinuit . Refecit elapsi sæculi anno *xxxix.* collabentes Ascetarum ædes Vincentius de Neapoli Episcopus ; at idem , uti sæculares Presbyteri Monachos passim deficientes exciperent , contendit , & obtinuit . Perstiterè itaque hi ad annum *mdcliii.* quo Alphonso de los Cameros res sacras moderante , Romani Pontificis decreto ante quinquennium emanato , Prior , Archidiaconus , Cantor , Thesaurarius , & Archipresbyter Dignitates , & hic postremus olim Magister Capellanus , etiam Parochus , Canonici *ix.* Mansionarii *xv.* constituuntur , qui ad nostra hæc tempora sacris officiis vacant . Conduuntur in eo templo Adelasæ Comitis Rogerii postremæ uxoris , ac Regis matris exuviæ , non vulgari marmoreo tumulo cum epigrapha , necnon spectantur Pontificum egregiè elaborati sarcophagi .

Jam secunda post Cathedralè parochialis Ecclesia S. Hyppoliti Martyris titulum referens , mediam pene urbem occupat , & Magistratui addicitur , qui civicos in ea conventus celebrat . Subest Curioni ab Episcopo delecto , aliosque sub se Sacerdotes habenti , quibuscum sacris muniis vacat . Ad septentrionalem regionem , quæ prima olim mortales excepit , & nautis jam frequens videbatur , curandam , S. Michaelis assurgit Parochia suo cum Sacerdote . His tribus filiales *x.* suffraganeæ intra pomœrium accensentur , & præcipuæ Laicorum sodalitiis sunt instructæ . Extra in amplissimo suburbio , S. Nicolai ædes spectatur magnifica , in qua sacris administrandis navatur opera . Hæc nomen suburbio appinxit , minoresque Ecclesias *xi.*

enumerat; sunt quippe incolæ suburbanî, præ opidi murati, copia, & conditione præstantes. Ex Cœnobitis Minores Conventuales S. Antonium Patavinum primum exhibent conditorem anno mcccxxv. juxta Cagliolam. Inest Conventui B. Patriarchæ Francisci nomen, quem a *Patensibus*, ad suorum coloniam emittendam, sollicitatum ejusdem epistolæ declarant. Hic S. Antonius celebre illud prodigium de alitis ossibus in piscium squamas mutatis patrasse dicitur, uti in illius vita. Occupat ædificium amœniorem urbis situm; male enim Pirrus extra ponit; aptumque est, uti ordinis in eo Studium de naturali scientia habeatur. In S. Nicolai suburbio ejusdem instituti de Reformatione Fratres S. Mariæ de Jesu ab anno mdcxxvi. incolunt; Ibi olim Observantes degebant, quibus sæculi xv. anno lxxxvii. locus fuit designatus; ut vero Reformatis Monasterium cessit, in tumulo ultra suburbium ædiculam S. Antonio Patavino sacram illi delegerunt, & congruis fabricis, Vincentii de Neapoli Episcopi elemosynis adjuti, novum sibi excitarunt. Fertur porro hanc S. Antonii illam esse, quam Divus hic *Patris* primum constituit, ex S. Patriarchæ præscripto, de qua re fuse laudatus Cagliola scribit. Capuccini ad n. pass: ab urbe sub S. Mariæ titulo, salubris aeris utuntur situ, & cœnobium inhabitant ab anno mdlxii. in quo complures vitæ sanctimonia florere.

Pirrus, *hic olim fuisse*, ait, *Præceptoriam Ord: S. Jo. Jerosol. cujus ades postrata visitur*. Memorat quoque Prioratum S. Spiritus Archihospitali de Saxia in Urbe subjectum, processu quidem temporis pene deletum, sed anno mdcxxxv. Philippo Bolognesi agente, restitutum. Sanctimonialium celebre Monasterium, pinguisque dotis, toti urbi conspicuum, ad orientem

entem statuitur, in magnificentissimis Bartholomei de Aragona ædibus; aulis laxioribus, & conclavibus cum familiæ tessera id apertè firmantibus, nec non ex quadris lapidibus ab imo ad summum fabricis, angularibus solidissimis versuris, substructionibus, hipogeis, fornicibus, arcis instar demum crassis muris id ipsum clamantibus. Offendit Martini Regis animum Bartholomæus, qui *Pactas* sibi usurpaverat; cessere idcirco ejusdem bona in hujus principis potestatem, & hoc cum primis palatium. Episcopis aliquando attributum, tertio jam sæculo elapso, sacris Virginitatibus sub S. Clare regula excipiendis designatur; quæ districtis instituti præceptis servandis exactè semper vacantes, numero ad c. & Pirro teste ad LVII. ætate sua, Deo serviebant, sed vix hodie xxx. excedunt. Puellis pauperibus custodiendis ad occidentalem urbem plagam, sub S. Rosaliæ invocatione excitatum olim parthenonem, in salubriorem locum Vincentius Maffia Episcopus circa orientem transferre curavit, ac S. Rosæ Limanæ nomine insignitum voluit. Domus Hospitalis S. Crucis ad infirmos, & S. Mariæ de Consolatione ad peregrinos fovendos institutæ, opportunis fabricis instruuntur Mons Pietatis in S. Blasii Ecclesia viget, cum nobili sodalitia. Seminarium denique Clericorum circa orientem spectandum variis sub Pontificibus coaluit, qui ad diocesis suæ bonum, de illo augendo, ad nostra hæc tempora contendere sunt visi.

Quod attinet ad Nobilium, civiumque ædes, sunt illæ, & potissimum in suburbio, mole & ornatu decentissimæ; fontes in foro celebres; viæ intra mœnia, ut vetusta ferebat ætas, haud multum accommodæ; in suburbio laxiores & rectæ. Ubi navium est statio, cui *Olivastri* vocabulum, munimenta ad custodiam

diam cum incendiariis ballistis non desunt, rusticorum humiles casæ, nec circa littus divitum suburbana desiderantur. Ager moris, oleis, vitibus, arboribusque fructiferis conlitus, frugum cujusque generis dives, colonorum laboribus respondet; pascuis frequens rem auget pecuariam; ad xx. denique pass. m. extenditur. Montaneam Regalem, & Surrentinum casalia dudum complectebatur, quæ dynastas hodie peculiares cognoscunt. Magistratum iv. Jurati Patres, vii. in Regni consilio votum ferentes, Vindex Criminum, qui Dux ad Arma in Regione audit, & Syndicus item Regius Procurator, ac Judices primas, & secundas causas, uti ajunt, agnoscentes constituunt. Episcopo non tenues sunt proventus ex Feudis præsertim, variis in insulæ locis, & ex Ecclesiis adnexis, uti apud Pirrum. Metropolitano Messanenfi suffragatur, cui scutata m. quotannis solvit & in Comitibus proceres Ecclesiasticos septimus subsequitur. Opi-da Libritium, ac Jojusam, & S. Salvatorem majori ex parte, uti temporalis etiam Dominus administrat. Vincentius Mineus Panormitanus, inter patriæ Parochos olim non ultimus, hac hodie dignitate fruitur, ab egregiis moribus, & doctrinæ præstantia celebratus; in pastorali exercendo munere præcipuus, suisque apprime acceptus.

Celebris est *Paëtensis* urbs ortu divæ Trophimæ, inquit Pirrus, seu Trophimenes V. & M. quæ passa est anno circiter ccciv. Cajetanus in Idea fol: 30. Trophimam & Febroniam apud Paëtenses in veneratione esse, scribit, & unam ab alia diversam esse suspicatur. In vitis vero SS. Sicul: ubi de Trophimæ sepulchro in Amalphitano littore detecto multa tradit, minime inficiatur, eandem S. Virginem, &
Mar-

Martyrem duplici vocabulo potuisse apud *Pactenses* suos appellari; eorumque traditionem non improbat. Extat, eodem Cajetano teste, Trophimæ, seu Febroniæ ad II. ab urbe lapidem ædes, & fons prope eam vetustis etiam temporibus salutaris. *Pactis* Ecclesiam Febroniæ condidisse Joannem Matthæum Vinolam etiam affirmat. Ejus coeterò in Majori Ecclesia sacellum videtur veluti præcipuæ Civium Patronæ. Vitam scripsere Philippus Agitta, & Placidus Pisciotta, aliique, uti Mongitorius perhibet, in Addit: ad Pirrum. Protulit urbs nostra Blasium Protum Messanensem Archiepiscopum, de quo laudati Pirrus, & Mongitore; Antonium Stabilem Ordinis Minorum S. T. Magist: ac patriæ Episcopum designatum; Cajetanum, Juvenatii primum in Apulia, Mazaræ postmodum in Sicilia pontificia sede donatum, cujus summa cum laude idem Pirrus meminit; & Franciscum Eliam Syracusanæ Ecclesiæ Pontificem. Hunc multis commendat Mongitore. Scriptores *Pactenses* ex Minorum ordine habes apud Cagliolam: Franciscum Vita Polyntium, qui adversus sui temporis hæreticos scriptis egregie depugnavit, & Tridentino Concilio interfuit. Franciscum ob ingenii acumen *Muscum* appellatum, Theologum egregium; Andream humanis, sacrisque literis eruditum, & toti Ordini a Secretis; Honorium Lectum, & Fortunatum de Fortunatis. In Sicula Bibliotheca Mongitorii laudantur Bruno Minor Capuccinus, doctrina, prudentia, ac religiosis virtutibus, oculorum modestia cum primis, insignis, obitusque in Ordine per Siciliam, & exteras etiam provincias primariis muneribus illustris. Scripsit de *Immaculata Deiparæ Conceptione* tractatum; Franciscus Magretti in Jure consultissimus, & causarum Patronus eximius,

primis idcirco gradibus in legali foro honoratus. Edidit: *Controversias, & Decisiones* circa varia. Jacobus de Benedictis patriæ Canonicus in omni scientiarum genere versatus, moribusque præditus incorruptis. Plura prælo commisit ad eloquentiam, poesim, & sacram, profanamque eruditionem spectantia. Philippus Pisciotta Sacerdos ad annos xxx. in Messanensi Ephebeo mitiores docuit scientias, & circa easdem præclara ingenii sui monumenta posteris reliquit. Philippus Pisciotta junior in patria Ecclesia Canonicus, & Major Pœnitentiarius, Sacrorum Canonum, & Theologiæ emeritus Magister, vitæ inculpatæ actibus illustrior, ab editis opusculis notus. Joannes Martinus Guglia Philosophus, & Medicus egregius apud Pirrum quoque, ob vulgatos ingenii foetus commendatus. Franciscus Minor Conventualis *De Situ Orbis* eodem Pirro teste dedit librum. Literariæ demum reipublicæ innotuere, Petrus Pisciotta, Dionysius Fortunatus, & Franciscus Dominedò Poetæ non vulgares, Petrus Cajetanus, & Placidus Agitta quorum habes in Bibliotheca nomina, & labores.

Nobilitarunt *Paëtis* suo incolatu Rogerius Comes, uti ex largissima Monasterii dotatione, qua urbem ipsam, opidaque, ac latifundia illi attribuit; nec non Adelasia ejus uxor, Simonis Comitissæ, ac Rogerii Regis mater, & tutrix, Balduino tandem Jerusalem Regi desponsata, a quo repudium passa, *Paëtis* se recepit, ibique corporis deposuit exuvias mxcviii. Quum Anacleti Pseudopontificis decreto, Hugo Messanensis Antistes Archiepiscopi insignia, mcccxi. suscepisset, Joannes Liparenensis, & *Paëtarum* Abbas ab eo constitutus Episcopus, Messanæ suffraganeus declaratur. Innocentii mox II. legitimi Papæ

ex Lateranensis Concilii sanctione, uterque ab eo fastigio dejectus est. At post Hugonem Nicolaus Mesfanæ Archiepiscopus ab Alexandro III. legitimè adlectus, ut nostro etiam Præsuli Episcopalis dignitas concederetur, anno mclxvi. obtinuit. Stephanus hinc *Paëtensis*, & Liparenis Episcopus elucet mclxxx. Id verò adnotabis, ante hanc inaugurationem Abbates Liparis, & *Paëtarum* passim nuncupatos fuisse; exinde verò Episcopos *Paëtenses*, & Liparenses, & sepissimè *Paëtenses* solummodo appellari. Anno mcccxcix. Bonifacius Rom: Pont: utriusque Ecclesiæ bono consulens, singulis suos dedit Episcopos, & nostræ Franciscum Emericum præfecit. Sub Aragonensibus Sancii Aragonii proditione Aloysio Neapolis Regi *Paëta* urbs cessit; mox tamen cives defectionis pertesi, erectis Friderici II. insignibus, huic rursus adhæserunt. Sed quum arcem, Gallis adhuc addictam, obsiderent, auxiliaque petiissent, dum suppetias expectant, Sancius cum copiis eò, festinato itinere, profectus, urbem populatus, incendio demum sedavit, ac destruxit.

Sæculo xvi. pestilenti lue afflata civitas, S. Febronix intercessione, ne tota in vastitatem abiret, prodigiosè impetravit; ferventiori exinde studio opidani in eandem veluti Patronam singularem adscitam feruntur. Sub idem tempus Turcarum invasione vexata urbs dicitur. Dū enim Liparam barbari obsiderent, xxx. illorum triremes *Paëtas* aquatum venientes, populatam prius, totam sedissime incenderunt. A profugis porro civibus in patriam redeuntibus, rursus instaurata; sed ad nostra adhuc tempora colonis infrequens remansit. Anno mdclv. Ascanius Ansalone, in Italiæ Consilio Regens, illato in Regium ærarium pretio, sibi *Paëtas* vindicare contendit; verum Cives corrogata inter sese

pecunia, atque Ansalonio soluta, in *Demanio* perstitere. Adfuit eorum conatibus Franciscus Amicus, tunc temporis Pactensis electus Episcopus, cujus adhuc perdurat gratissima apud illos memoria.

PACTARUM Fluvius, Timethus veterum Fazello creditur, cujus est penes Ptolemæum mentio. Cluverius Nasi amnem potius, *Pactensi* celebriorem, apud Geographum celebrari perhibet. Oritur enim noster, a fontibus Casalis Novi, & Arcis S. Petri haud multum distans, ac in Tyrrhenum mare Tyndaridi, & *Pactis* medius se condit, & ab utroque suspicit paullo ante ostia, nomen.

PALEARIA Opidum, Latinis aliter *Tuguria*, ad torrentis S. Catherinæ alveum, vulgo Flumariam, sub Savoca, cujus est municipium, circa austrum situ delivi sedens, Messanensem Archimandritam dominum agnoscit. Major Ecclesia SS. Apostolis Petro & Paulo dicata, decentissime affurgit, uti & alia S. Sebastiani Mart: ac Patroni nomine, unde opidani sacramenta percipiunt. His suffragantur minores VIII. omnes ejusdem Archimandritæ curæ spirituali commissæ. Censurarium, & incolarum sæculo XVI. initus, una cum Savoca, aliisque ejus municipiis; sed insequentis anno XII. lares 317. animæ 1114. in nostro opido seorsim computatæ; hujus vero sæculi anno XIII. foci 268. animæ 1034. Hic S. Mariæ de Pollimena templum, ait Pirrus, cum Prioratus titulo, qui S. Basilii Monachis confertur.

PALMÆ Savocæ Casale haud procul ab ora maritima, in torrentis etiam alveo ad orientem. Dicitur *Palmolium*; ex Cluverio vero, aliisque Tamaritium. Palmarum in Antonini Itinerario memoratum, situmque inter Messanam, & Tauromenium, non inani conjectura

jectura putatur. Ejus est Ecclesia sine parochiali jure; id enim ad Savocæ Sacerdotem spectat.

PANARIA Insula ex Æoliis una, *Hiccsia* Geographis antiquis, inter Strongylem & Liparam, ab illa x. pass. m. in occiduum hybernum solititium; ab ista vero viii. in ortum æstivum, ambitus vi. circiter, jacet. Deserta est, paucisque agri colonis frequens. Commodam, nec inseguram navium habet stationem, & veteris arcis rudera ostentat. Errant qui Thermissam Strabonis, Ptolemæi Evonymon, & Appiani Didymam putant, de quibus actum.

PANCALDUM Casale in Mylarum agro. Tenuit ex Guillelmi II. rescripto *N. Pancaldus*, ejusque hæredes ad sæculi xvi. annum xvii. uti in Barberæ Capibrevio, qui *Henrici Pancaldi* meminit per id tempus Feudi domini. *Crisaphiis* sequenti sæculo cessit; hinc *Bonannis*. Hodie *Joseph Bonannus* Catholicæ, & Roccæ Floridae Princeps possidet.

PANNACHIUS Collis circa australes Ætnæ radices, sub quo vetus S. Leonis Benedictinum Cœnobium stabat, quod incendiis devastatum. Collis juga arbores hodie occupant, & nemoris Ætnæi pars habentur. Cœnobium Prioris titulo insigne, Licodiano unitum, S. Nicolai de Arena hospitem domum tenuit suffraganeam, quæ in Abbatiam eversa, celebris hodie viget, uti in illius notitia fuse scripsi.

PANTACIS Acensis ditionis vicus, absque Parochia, cujus meminit Pirrus.

PARADYSUS In ora Peloritana aquilonari nobile suburbanum, ad Brunacinos S. Theodori Principes spectans. In eo sæpissimè Proreges Messaniam appellentes excepti, ut pompa interim ad ingressum sollempnem disposita instrueretur.

PASSUS LAURI Turris specula in Caronia littore, insulæ aquilonari.

PATERNIO Civitas Montecatinis proceribus, titulo Principatus hodie addicta, olim Regii sanguinis Comitibus, in clientelam designata, in colle ad orientem æstivum primo, mox in ampla plautie, ubi suburbium, circa eandem plagam protensa, paucis ex mediterraneis decedit. Porta adhuc integra, quæ Suburbii appellatur, novam a veteri discernit, & in illius æquè, ac late excurrente supercilio Arx celeberrima, seu Turris sedet, Rogerii Comitis opera **MLXXII.** extracta, occasum respiciens, cui ad ortum majus templum Deiparæ de Alto sacrum respondet, molis magnificentia spectandum. In eo Canonicum insignem coaluit Collegium cum dignitatibus, uti appellant, **IV.** Parochiali munere fungentibus; **Primariis Alumnis XII.** ac **Secundariis VI.** ad Divina celebranda officia quotidie deputatis. Haud procul in austrum S. Francisci Conventuales Fratres, Eleonoræ Reginae ædes **MCCCXLVI.** ex ejusdem largitate habuerunt, conditoque decenti asceterio, eo nunc utuntur novis fabricis instaurato, Capuccinis ære publico ab anno **MDLVI.** aptum institutis Conventum, circa hybernum occasum pii cives destinarunt, ac quotidie congruis fovent eleemosynis. In declivi Montis Pietatis Ecclesia cum Alborum sodalitia. Servatur in ea Christi Domini spinis coronati religiosum simulacrum, summa religione cultum. Medium penè, pronumque situm ad ortum occupat, demum S. Mariæ Vallis Josaphat vetus Monasterium, ab Henrico Rogerii Comitis genero, Policastri, & *Paternionis* Comite, alteri ejusdem nominis in Jerusalem Benedictini instituti, Ansgerii Catanensis Episcopi indulctu, **MCXII.** adnexum. Prima ejus origo

Ade:

Adelasiæ ejusdem Magni Comitis uxori adscribitur circa mxcii. quæ S. Agathæ Cœnobio subinde bonis, ac latifundiis auctum, illud attribuit. Exciso Jerosolymitano Monasterio, hujus Abbas subjecta in Sicilia Monasteria administranda suscepit, postremusque nostri Prior Lucas de Randatio, Eugenio IV. Rom. Pon. volente, Abbati S. Mariæ de Licodia, & S. Nicolai de Arena resignavit. Degunt in eo hodie Monachi duo Sacerdotes, qui cum Presbyteris sæcularibus Divinis intendunt. Fons ex impolito lapide Ætnensi in Sacrario videtur, & Baptismalis olim erat. Jura quippe parochialia Ecclesiæ competebant. Olim Monialium Claustra circa hanc regionem videbantur, quæ nunc in Suburbio assurgunt.

Et sane nova pars hæc, & præcipua opidi, Suburbii nomine ad sæculum xv. usque veniebat, nostris verò diebus longè, ac latè in ortum vel maxime excurrit, atque amplissimis areis, & viis describitur. Ex illis laxior a S. Barbara Virgine, & Martyre principali opidi Patrona appellatur; elegantem quippe habet a fronte, ejusdem Divæ Ecclesiam cum turri, ubi sacramenta incolæ percipiunt, ac via intermedia Sacrarum Virginum Parthenonem ostentat, Deiparæ Annunciatæ sacrum, quem S. Luciae dicatum male Pirrus vulgavit. Is antiquissimus in colle, seu veteri opido assurgebat, sed recens ejusdem Pirri ætate, loco indicato ædificari ceptus, circa elapsi sæculi medium Moniales admisit, ubi illæ ad S. Benedicti instituta viventes, a prisco religioso studio adhuc hodie servando, commendantur. Circa occidentem S. Mariæ Montis Carmeli Fratres incolunt, Ecclesiam sub Deiparæ de Catena titulo, a Benedictinis concessam, eleganti ssumo ejusdem Virginis simulacro splendidam,
sacris

facris officiis frequentant; paucisque ab hinc veteri Hospitali domo occupata, in ampliorem formam Cœnobium redigere satagunt. Haud procul Civilis Magistratus basilica se offert, aulis decentibus, publicisque, ut vocant Officiis instructa. Circa hanc ipsam regionem S. Joannis Jerosolymitani vetus *Commenda*, ubi Fridericus II. anno mcccxxxvi. vitæ finem invenit.

Jam altera in austrum constrata area a S. Antonio vocabulum sortitur, ob Minorum de Observantia, Opidi Dynastis authoribus conditum, cognomine asceterium, cui illa respondet; quam vis Pirrus S. Mariæ de Jesu nuncupatum perhibeat. Supra S. Augustini Centuripinæ Congregationis Conventus B. Mariæ de Gratia auspiciis subrigitur, qui extra pomerium inter primos dudum coaluit, ab ipso Reformatore, & fociis fundatus. In centro forum venale prostat, cum aquæ perennis acidulæ fonte, rebus ad vitæ necessitates, esumque spectantibus abundans. Huic Prædicatorum Fratrum Monasterium sub S. Thomæ Aquinatis patrocinio ab anno m̄lxxii. excitatum, cum eleganti sacra æde ab ortu adheret; Nova domus Hospitalis, haud procul abest in occasum; circa aquilonem denique Augustiniensium Excalceatorum nuper moliri ceptum, assurgit Claustrum, quod incrementa jam plurima in dies suscipit. Hi S. Mariæ de Scala insignem Benedictinam colebant Abbatiam, uti mox dicam, paucisque ab hinc annis aeris infalubritatem caussati, ea derelicta, intra pomerium demigrarunt. Filiales Ecclesiæ duo de triginta enumerantur, compluresque ex illis sodalitiis addictæ. Eminent præ cæteris S. Margaritæ, ac Deiparæ de vii. Doloribus dicata, in qua Sacerdotum cætus conventum habet. Civium privatas ædes prætereo, in quibus elegantia non

non desideratur; sparsim enim per compita se offerunt, & moras properanti injicerent, ubi singulatim recenserentur.

Publicas *Paternionis* administrant res Jurati Patres IV. Criminum Vindex, Syndicus, & Judices a Dynastis adlecti, horum vero curandis juribus *Secretus* intendit. Sacris invigilat Catanensis Episcopi Vicarius. In Catanensi Comarchia computatur, & Agyrinum Instructorem quo ad militiam sequitur, sub quo equites XI. peditesque LXXXIX. merebantur. Lares censuit cum casalibus sub Carolo V. Cæsare 1359. sed anno MDXCV. opidanos 5650. Sequentis sæculi medio focos 998. animas 4011. Decurrentis anno XIII. foci 1815. animæ 6341. & proximis elapsis temporibus 9209. computatæ. Latitudo grad: XXXVII. XXVII. longitudo grad: XXXVIII. XXVII. decernitur. Ager frumenti, vini, olei foecundissimus, caput est inter eos, qui ad radices *Ætnæ* extenduntur; ac longè, latèque patens, ab ipsis ejusdem montis lateribus, ubi nemorosus pinqui glande innumeros suinos greges nutrit, & pascuis opimis, armenta, & pecora fovet, ad multa jugera ultra Symethum flumen, quod a *Paternione* passim appellatur, excurrit. A fontibus porro celebrior habetur, quos juxta varias regiones ubi scaturiunt, recenseo. In *Jacono grande* Aquæ Acidulæ, corrivanturque per occultos ductus ad forum usque venale. In vico *Scammacca* Acidulæ, sed simul frigidissimæ. Apud *Constantinam* secus viam publicam e duplici latice aquæ sale infectæ profluunt. Rivulos habet *Patelina* aquæ purissimæ, hasque inter Acidulas etiam emittit. In *Podio Monachi* non absimiles extant; In *Viridario Signorello* ferruginosas particulas defluentes aquæ in solo relinquunt. Fons Maimonis compluribus celebra-

tur Aretio, Fazello, Cimarello, Serpetro: *Fons aquæ ferreæ*, inquit primus, *qui fervens, nec foras erumpens lintcum, aut pannum trita galla prius cum aqua infectum mox nigrum reddit, Maimonis fontem hunc appellant*. Præ cæteris demum *Aquæ Salinellæ* in quodam terræ tractu, v. pass. ab opido ad septentriones, parumper elevato, ubi hac illac crateres spectantur non multum inter se diffiti, parvique ambitus, unde aquæ sulphurææ erumpunt luteæ in eisdem crateres resiliens. Quumque a Palicis, veterum testimonio celeberrimis, parum differant, Palici nonnullis creduntur juxta Symethi flumina, quæ haud procul inde cursum agunt. De hisce *Paternionis Aquis* fusè Vincentius Chisari Philosophus, & Medicus opusculo, quod nondum publicam aspexit lucem, & eruditissimus Josephus de Gregorio, & Russo dissertatione peculiari Tom: 3. Opusculorum Sicul: ubi fusè de illarum causis inquit: De Scalensi Benedictino Monasterio in colle contra opidum, suo loco reponam; De Licodiano jam dixi, de aliis Prioratibus S. Marci, S. Nicolai de Langobardis consulendus est Pirrus, cū Additionibus ad lib. iv. a me editis Not. iv.

Cives Illustres memorantur: Franciscus Ordinis Capuccinorum spiritu prophetico clarus, multisque a Deipara favoribus, & gratiis etiam in morte honoratus, de quo ejusdem Ordinis Annales. Hieronymus Sacerdos, eremiticam primo vitam duxit ad perfectionis leges conformatam, inde inter Minores Reformatos Agrigenti admissus, longè majori studio Deo adhæsit. Virginitatis custos præcipuus, aliisque virtutibus ornatus mdcxix. piissime decessit. De eo Tognoletus. Franciscus, & Marius Augustinienses, Centuripinæ Reformationis cum Andrea Ennensi fundatores,

datores, seu primi ejusdem Socii, non minoris vitæ innocentia, & in propagando instituto zelo ferventissimo præditi. De his in Vita Andreae Maurus de Truglio, Philippus Turchesius, Gregorius Caracita, Maurus Caprara, Bartholomæus de Alexandro Abbatiali honore in S. Nicolai de Arena donati, ac Josephus Crisafulli postremus S. Mariæ de Scala Abbas. Bartholomæus Taverna Benedictinus Monachus scientiarum peritia, poesi, historia, nec non moribus insignis, sed rerum antiquarum vel maxime calientissimus, Chronicon Cœnobii sui de Arena concinnavit, in Apocalypsim Commentaria reliquit, & S. Agathæ Vitam metro edidit. Joannes Baptista Nicolosus Romæ diu vixit, Mathesis, & Geographiæ studia eximiè coluit, Linguarumque Europæ peritia nulli sua ætate secundus, moribus gravissimis, ac prudentia in agendis præditus, viris principibus, Romanis præsertim Pontificibus, & Leopoldo Cæsari acceptus, religione demum in Deum, & charitate in pauperes, inque Virginem Deiparam singulari animi affectu insignis, ibidem mdcclxx. decessit. Ejus elucubrationes Mathematicas, Historicas, & Geographicas enumerat Mongitore, quas inter *Hercules Siculus* II. tomis comprehensus, mole, & tabulis præcellens laudatur. Ex eodem Mongitore claruerunt Alexander Chiarenza Poeta, & Orator egregius, Bernardus Morsecatus Ordinis Prædicatorum eloquentia præcipuus; Cæsar Faraci Catanensis Ecclesiæ Canonicus, sacris, & politioribus literis instructissimus, & Gerardus Anfaldus Ordinis Minorum a gravioribus scientiis, & poeticis studiis laudem non vulgarem assecutus; quorum omnium typis edita monumenta in Sicula Bibliotheca recensentur.

De prima *Paternionis* origine complura tradit Franciscus Honoratus Columna in ejusdem Historico Compendio; non omnino futilibus rationum momentis contra Fazellum, aliosque contendens, illam Rogerio Comiti minime attribuendam. Hic enim, Malaterræ testimonio, *Paternionis* Arcem fundasse perhibetur, ut & Mazare, ac alibi per insulam, ut Sarracenis obsisteret; Neque ideo Mazaram urbem, aut alias Rogerius primum constituit. Extabat igitur opidum nostrum, prædicto in colle, Comesque Arcis solummodo, ac nominis recenter inditi author fuit. Firmant hæc non pauci e lateribus sarcophagi, variis temporibus circa detecti, cum fictilibus vasculis, ac lucernis; Diotæ quoque cum cineribus, & alia vetustæ ætatis rudera, aquæ ductus videlicet, inscripti lapides, ille vel maxime in Prædicatorum fratuum horto, præ janua, hæc habens: ΕΠΙ ΔΙΟΝΥΣΙΟΙ Η ΦΙΛΟΚΡΑΤΗΣ ΚΑΙ ΕΠΙ ΑΡΤΕΜΙΤΙΕΙ. Id est *sub Dionysio fuit Philocrates, & sub Artemisio* .. qui ad Dionysii Syracusarum tyranni tempora dubio procul spectare creditur. Parietinq; insuper, ac tegularū fragmenta, vetustæ habitationis clarissima indicia. Cogitant equidem aliqui de Trinacia, sed inepte; alibi quippe illa stetit. Inessam sive Ætnam pass: M. XII. Catana dissitam alii putant, distantia utique congruit; verum ex alibi dictis id non procedit. Quod *Paternos* populos in Sicilia Cicero Verr. V. memora- verit, unde Opidum *Paternò*, scribit Leander Alber- tus, at apud Tullium citato loco nil tale legitur. De Adriano Aretius perperam affirmat: *Et mox alterum, inquit, Paterno nomine, sive quod ipsum sit Adranum, sive de ejus nomine.* Adranum enim cum celebri tem- plo, adhuc vocabulum refert, hodie Adernò. Pausani-

as Hyblam minorem in Catanensi posuit agro, de eadē idcirco suspicio oritur. Sed calamo cespitasse scriptorem illum passim docent Eruditi. Cluverius denique, & cum eo, Ospinianus, Seine, Vigintimilius compluresque alii, Hyblæ Majori *Paternionem* successisse docent, ac verosimilem illorum conjecturam alibi, de Hybla illa loquens, reposui. Quod Hybla Christianis temporibus Catanæ proxima steterit, sepulchralis evincit inscriptio *Nile Florentina Infantis dulcissima Hyblæ ortæ*, quam in Catanensi Historia exhibui.

Nulla deinceps aut Hyblæ, aut alterius opidi viget memoria ad Northmannorum ætatem; at enim locus aptissimus, & ager, uti perhibui, frugum ferax, ac fontibus ubique irriguus, ad culturam satis accommodus, mortalibus frequens esse oportuit. Rogerium aliunde Arcis tam insignis paucos in ea menses molliendæ, absque operarum per vicinia incolentium suppetiis, consilium suscepisse, vix credibile videtur; Excitandam quippe illam cogitavit, quum Catanam obsideret, ac Centuripem oppugnaret, ut ad perfugium ea uteretur, quod passim scriptores affirmant; Illis vero in suam redactis potestatem, Comitatus tesserat *Paternionem* voluit decoratum, & *Adelasia* uxoris juris esse constituit; mox dotis nomine *Flandrinæ* filiæ *Henrico* Langobardo Marchioni desponsatæ assignavit, qui eo in opido sedem statuerunt. Ex his *Simon* Policastri Comes, & Buteræ dominus, qui cum *Thomasia* conjuge *Manfredum* genuit, Mazarini etiam dynastam, ex *Beatrice* uxore nulla prole auctum. *Bartholamæo de Lucc* sub Suevis Regibus subinde ex dote opidum obvenit, qui *Calabriæ* Magister Justitiarius fuit. Uxor illi *Desiderata* fuit, quam ex *Gaufredo* Montis Caveosi Comite progenitam dicunt.

Horum

Horum filiã *Margaritã Blasfus Lancea* sacris vinculis sibi adjunxit, cui Paternionis dynastia idcirco cessit. Pirrus in Chronologia *Galvanum Lanceam* Friderici filium Buteræ, & *Paternionis* Comitatu anno mclvi. Manfredi Regis consanguinei privilegio auctum affirmat. *Lanceis* Andegavensi Carolo infestis, atque ex insula pulsis, N. de Bonifacio Comitatum assequitur, & hujus mox filia *Jacoba*, quæ *Manfredo de Malletta* seniori Menarum Comiti uxor data, huic dotis nomine *Paternionem* opidum an: mclv. circiter detulit. Ex ea posthumus *Manfredus* junior Friderico II. Regi prius a cubiculo, ubi ab eo defecit, Gallisque adhæsit, Regno excedere cogitur, bonisque exutus Neapoli demum obiit.

Hugo hinc de *Ampuriis* Squillacii Comes in ejus locum sufficitur, quo defuncto, idem Fridericus *Eleonora* Reginae *Paternionem* attribuit, & *Reginali Camera* addixit. Hæc a conjugis morte diu apud nostrum opidum diversata, in vico tandem *Guardiarum* ex ejus casalibus, mundo sublata est; & dynastia sub successoribus Regibus de *Demanio* evasit; Fridericus III nihilominus *Artali de Alagona* concessit, quo a Martino desciente, rursus in Regiam potestatem rediit. Alphonfus, quum æris penuria laboraret *Nicolao Speciali* mccccxxx. vendidit, redimendi tamen jure sibi reservato. Post *Nicolaum* *Petrus* filius obtinuit; mox ab eodem Rege emit *Guillelmus Raymundus Moncada* Adrani Comes xxv. m. florenis exsolutis, atque in publicis Comitibus, ut venditio a Proceribus firmaretur, anno mccccvi. impetravit, Ex *Raymundo* *Joannes Thomas* filius, sub quo Henricus Henriquetius a Ferdinando Rege jus luendi *Paternionem* assequitur, re tamen cum *Joanne* composita
hic

hic *Paternionis Comes* est dictus, uti & *Antonius* ex eo ortus. At *Franciscus* hujus filius Philippi II. privilegio MDLXVII. Princeps appellatus locum in publico Regni confessu IV. sibi vindicavit. Aliorum seriem alibi habes.

PATERNIONIS Fluvius, *Jarresta* vulgo. Vide *Symetbus*. Ubi hodie scapha ad trajectum, pontis vestigia spectantur, III. pass. M. circiter ab opido dissita.

S. PAULI Casale ad Castrum Regale spectans, ab eoque circa æstivum ortum III. circiter pass. M. distitum. Illius Parochia ab eodem S. Apostolo nomen habet. Suffectum dicunt post veteris vici de *Fontanellis* ruinam, olim ad jactum ballistæ discreti.

S. PAULI Statio in Messanensi littore ad austrum sub S. Placidi Monasterio pass. X. M. ab urbe sejungitur, atque ab appulsu B. Pauli Apostoli, uti fert traditio, celebris habetur. Ibi sacra ædes vetustissima ab eodem Apostolo nominata, & ad viatorum commodum hospitoria taberna.

PAX Vicus in ora Peloritana ad aquilonem, Nautis, Corallii in freto piscatoribus frequens, cum proxima Deiparæ de Crypta Ecclesia, idest Virginis in Bethalem Christum parientis, quæ unico tholo, & elegantissima assurgit. Eam ex voto Philibertus de Sabaudia Siciliae Prorex, ac supremus Talassiarcha jussit. Franciscus vero de Mello Comes Assumarus Prorex & ipse longo maris itinere, nec sine periculo emenso, quum primum eò appulit, ære suo perficiendam curavit, uti e marmore tabula MDCXXXIX. ibi apposita docet. Subest *Pacis* vicus Parochiæ Curcuracis.

PACIS Fluvius, quod ejus sint fontes sub cognomine agro, juris Benedictini Messanensis Monasterii S. Placidi, appellatus, auctusque aliis aquarum venis,
sub

sub Condrono opido, cursum agit, suasque tandem Nucito anni, veteribus Mela, ac Facelino alibi descripto devehendas tradit.

PEDARA Opidum ad australes montis Ætnæ radices Catanæ olim municipium, ejusque Diœcesis pars, æquo sedet solo cum magnificentissima, Deiparæ Virgini dicata Ecclesia, quæ unica parochialis; fronte, & æris campani excelsa turri undique conspicua; picturis, elegantibusque tabulis, Equitis Matthiæ præsertim, & marmore pulcherrimè concinnata; mediæ demum urbe dignissima. Area, quæ ante eandem sternitur satis ampla, nobile ædificium circa occasum exhibet, humilis quidem schematis, si altitudinem spectas, sed aulis, & conclavibus laxioribus, picturis, auleis, supellectile, aliisque elegantissimis splendidum. Moltus est cum sacramentum, tum palatium, uti appellant, Ludovicus Pappalardo Eques Jerosolymitanus, ingentis animi vir, cujus e vario marmore sepulchrum in S. Catharinæ Virg: & Mar: præcipuæ tutelaris capella. Sunt filiales aliæ *Pedara* Ecclesiæ iv. earumque una in tumulo ad aquilonem Annunciatæ Virgini addicta cum opidanorum sodalitia. Lares hodie 459. incolæ 1315. qui anno mcccxiii. ad 1952. computabantur. Anno vero mdclii. in censu lares 389. animæ 1612. venerunt.

Perstitit sub Senatus Catanensis cura ad annum mdcliv. Quamvis enim ante tria circiter lustra *Dominicus de Joanne* Messanensis, pretio in Regium ærarium illato opidum nostrum, & alia sibi vindicasset, obnitentibus tamen Catanæ civibus, rursus ad primæva jura illa redierunt mdclii. post biennium vero re iterum exturbata, idem *Dominicus* uti *Pedara* Baro in Comitibus locum lvi. obtinuit, opidanique sub Comarchia

chia, & Acensi Militari Præfectura perdurarunt. Possidet hodie *Anna Maria de Joanne* Dominici abnepotis, quæ a morte conjugis *Josephi Alliata* Villæ Franchæ Principis, Magna Ordinis Jerosolymitani Cruce, ex privilegio singulari insignita fulget. Agrum habet commune cum Tricastaneis, & Viagrande, de quibus infra.

PELORUS Mons, *Peloris*, & *Pelorias* Græcis; Messanæ imminet circa septentriones, atque ad promontorium usque cognomine radices extendit suas. Cluverius ingens illud montium jugum a Tauromenitana ora ad mare Tuscum *Peloriadem* appellatum veteribus contendit, & a Neptuni celebri templo Neptunium. Hinc Solinus: *Eminet Sicilia montibus Aetna, & Eryce. Sunt & alii montes II. Nebrodes, & Neptunius. E Neptunio specula est in Pelagus Tuscum, & Adriaticum.* Partes Neptunii, prosequitur Cluverius, videntur fuisse Chalcidicus, & Eunes, sive Senes ex Polybio. Coëterò jam supra Chalcidicum ad australes vergere plagas, de *Bimari* loquens, dixi, & de Neptunio loquens speculam eandem esse, quæ in *Bimari* reliquias servat, asserui. In eodem *Peloras* binas etiam fauces Cluverius recognoscit, de quibus Appianus Bell: Civil: lib: 5. Mylenses scilicet, per quas a Messana Mylas versus transitur; & Tauromenitanas, ubi circa S. Alexii castellum angusto, ac brevissimo transitu veluti per portam ad Tauromenium est iter.

PELORUS Promontorium ex tribus præcipuis insulæ unum, quod in Italiam vergens Scyllæ adversum est, & cum Ceni, seu Columna Rheginorum fretum efficit. Cenis hodie Turris Caballi; *Pelorus* Phari nomen refert; dissident vero inter sese pass. m. circiter

ter III. quamvis alii hanc distantiam minuunt, & Cluverius pass. M. D. vix excedere scribat: *Causa nominis*, inquit Mela, *Pelorus gubernator ab Annibale ibidem conditus; quem idem vir profugus ex Africa, ac per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti videbantur continua esse littora, & non pervium pelagus, proditum se arbitratus, occiderat.* Id ipsum Valerius Maximus lib: 9. cap: 8. refert, quod putidum omnino commentum esse, idem Cluverius scribit; nam Servio teste ante Annibalicum bellum id nomen loco fuerat inditum. Strabo aliunde, qui de Peloro scripsit aut nihil tale audivit, aut saltem nihil credidit; ac Polybius, qui eodem ipso bello vixit, quidquam de isthac vocabuli origine non adnotavit. A Græca idcirco voce ΠΕΛΟΡ. quæ ingens, & immane monstrum significat, appictum vocabulum vel montium jugo, vel proximo Scyllæ, & Charibdi monstris formidabili littori putaverim.

De Turri ad Pelorum Strabo loquitur lib: 3. *Vestigiis fuit moris huiusmodi ponere limites, idest Columnas, Quemadmodum Rhegini columna loco ad Fretum Siculum posuere turriculam, cui opposita est turris, quæ vocatur Peloria.* Hanc Trajectum Antonini Itinerarium vocavit: *Trajecto Messana XII.* Et numerantur sanè, ab ipso Pelori extimo excursu, ejusque turri ad Messanam usque XII. M. pass. Eadem denique *Statua Speculatrix* est dicta, sed male a Valerio Maximo in alto tumulo locatur; occupat enim planum littus arenosum, quod veluti lingua, seu cuspis in mare excurrit. De Lacubus *Peloritanis*, & de Neptuni Templo jam actum. De *Pharo* inferius.

PELLIZARUS Fluentum inter Engyum, & Petraliam ex fontibus oritur sub hoc opido, & australibus
Mado-

Madoniæ radicibus, nivibusque auctum Salso meridionali adjungitur.

PES MONTIS Opidum in tumuli plano vertice positum, circa montis Ætnæ radices, quæ æstivum ortum respiciunt, cunctisque cœli plagis obversum saluberrimi est aeris, & recentis originis, Ferdinando Principi passim adscribitur, ac alio vocabulo *Belvedere* appellatur, quod undique scilicet sit conspicuum. Majus templum S. Ignatio Patrono sacrum cum parochiali jure decentissimum pene in centro subrigitur. Capuccinis in meridiem ab an: MDCXXXI. locus est designatus, Immaculatæ Conceptionis titulo. Census de anno MDCXXIII. focos 153. exhibuit, animas 608. Novissimè tamen 1063. Subest Archiepiscopo Messanenfi in rebus sacris, sed ejus dominus hodie *Franciscus Ferdinandus Gravina* Paliconiæ Princeps, & Calatabiani dynasta, in cujus ditione constituitur, & Fluminis Frigidi Feudo conterminum est, de quibus jam dixi. In *Pedemontis* agro domus Æremitarum cum vetustissima S. Mariæ de Lavina Ecclesia, quam S. Gregorio Pontifici vulgus adscribit. Deiparæ ibi imago, prodigiis clara, pia religione a confluentibus vicinis populis colitur.

PETHINÆUM Opidum in Cephalædensi parœcia, Mistrettæ Comarchia, & Militari S. Philadelphi Præfectura, amœnissimo vallis tumulo inhæret circa aquilonare Siciliae latus, ad fontes Alæsi fluminis. Arx vetus in supercilio toti opido dominatur, quod in austrum, ortumque vergit, & declive occupat solum. Creditur nonnullis Phintia, inter veteres insulæ civitates memorata apud Ptolemæum, cujus populos Phinthienses Plinius vocat; verum Phintia in latere meridionali locatur, nihil cum *Pethinæo* com-

mune habet, citra aliqualem nominis similitudinem Templum Majus cum Parocho S. Mariæ de Gratia sacrum, præest aliis xvii. filialibus Ecclesiis, quarum una elegantior S. Olivæ Virg: & Mart: dicata, Opidanorum singulari Patronæ, & præcipua solemnitate mense Majo a vicinis etiam populis cultæ. In S. Lucæ Evangelistæ sacra æde Abbatiam Charitæus de Crione S. Benedicti Monachus, ex bonis paternis, quæ sibi obvenerant, fundatam voluit, Diocesani Episcopi facultate, ipseque primus Abbas fuit constitutus anno MDXIV. Sed Monachis deficientibus hodie Clericis dignitas defertur. Capuccinorum Cœnobium MDXCII. extra opidum ære publico constructum, decens satis spectatur; Monialium S. Marci titulo antiquissimum, uti Pirrus evulgat S. Benedicti institutis exactissimè servandis incumbit, auctumque bonis legitur ab ingenua Ruffinorum gente; cujus est situs in frequentiori opidi loco.

Ager optimo oleo celebris, malis citrinis, & aureis confitus, aliisque ad vitæ necessitates commodis ferendis aptissimus, fruges, pascua, fructus abunde suppeditat, sericum, lanas præbet, nec vitibus caret. Ex civibus laudat Pirrus Fabium Ruffinum genere nobilem, S. Mariæ de Arcu Abbatem, ac Regium Capellanum; Silvium quoque Ruffinum ejus fratrem S. Lucæ Abbatem, Priorem, & Vicarium Cephalædensis Ecclesiæ; Hic *Pethinei* in S. Michaelis Archangeli æde fundandum sub S. Claræ Regula Virginum claustrum sanxit, eique dotem attribuit; sed quum alumne deficerent, quæ adstringi legibus vellent, ex Apostolico indulctu bona Sacerdoti in beneficium simplex, uti appellant, cessere. Decessit in patria virtutis, & sanctimoniam non vulgari opinione MDLXXX. de quo etiam

am Baronus, & Passaflumine. Mongitorius in Bibliotheca Angelum Annabatem Capuccinum Oratorem laudat, & Philippum Natoli Sacerdotem, in Sacris Ecclesię ritibus peritissimum, & multa eruditione insignē. Tenent opidi regimen iv. Viri, Syndicus, & Criminum Quæstor, per dynastas adlecti, quibus non est gladii jus. Pro Episcopo Sacerdos Clero præst. Longitudinis gradus statuitur xxxviii. latitudinis xxxvii. lv. Foci 335. Fazelli ætate, opidanique m̄xcv. computabantur 1299. Sequenti sæculo ex Pirro lares 427. animæ 1569. Anno m̄cccxiii. foci 344. incolæ 1256. & novissimè 1949.

Jam sub Friderico I. Cæsare, & Siciliæ Rege *Manfredus Malestā Pethinæum* obnoxium habuit; cujus filius *Manfredus junior*, quod a Friderico II. defecisset, cum aliis dynastiis amisit, ejusque loco *Franciscus Vigintimillius Hieracii, Cristiæ, & Sperlinghę Comes* sufficitur, uti in ejusdem Principis Censu. *Joannes* hujus nepos *Antonio* filio reliquit, qui *Mariam* cum *Margarita Claromonte* genitam, *Artali de Cardona* uxorem designatam *Pethinæi* dominam circa m̄cccclxxv. constituit. Ex his ad *Vigintimillios* denovo rediit; hinc *Philippus* ejusdem gentis *Martini I.* ævo possidebat. *Simon Vigintimillius* accepto pretio *Paulo Ferrerio*, e *Savona* *Liguriæ* urbe in *Siciliam* delato assignavit una cum *S. Mauro*, & *Pollina* opidis. Verum aliquando *Franciscus Ansalonius* *Joannis* filius una cum *S. Mauro*, & *Pollina* loco pignoris *Pethinæum* tenuit. Ex *Ferreriis* opidi dominis celebratur *Vincentius*, qui sæculo valedicens, *Tertii Ordinis S. Francisci* institutum amplexus, heroicis virtutibus floruit, & sanctissimè m̄dclxii. *Panormi* in *Cenobio Zisæ* decessit. Jam *Paulus Hieronymam* filiam

1. loco genitam *Antonio Ferrerio* nepoti uxore dedit, ex quibus *Bernardus, Paulus*, laudatus *Vincentius, & Francisca* prodire. Hęc fratribus sine prole decedentibus hæres effecta, *Mariano Valguarneræ* nupsit, unde *Hieronyma*, quæ *Joannem Franciscum Ferrerium* consobrinum *Pethinæi* dominum dixit. Verum *Victoria Valguarnera, Carolo Vigintimillio* uxor data, marito opidum detulit. Ex his *Antonius Pradensis Comes* vivit, uti *Pethinæi* Baro in Comitibus loco x. sedens.

PETHINÆI Fluvius, veteribus *Alesus*, & vulgi voce *Letus*, oritur ex fontibus sub opido cognomine, & sub *Mistretta, Regitano*, aliisque collibus vicinis promanantibus, ac inter *Tusam, & caput Mariarum* pelago illabitur *Tyrrieno*.

PETRA Vetus Opidum, cujus gentiles *Petrini* *Diodoro, Ciceroni, ac Plinio*. *Petream* dixit *Silius lib. 14. Romanos Petrea Duces, Romana petivit fœdera Callipolis*. *Ptolemæus* rectè Engyo ab occasu opposuit, at perperam utrumque opidum inter *Ennam, & Syracusas* locavit, uti bene *Cluverius* advertit, qui eo stetisse loco *Petram* affirmat, ubi opidum hodie in edito colle sedet, *Petralia* appellatum, & in *Rogerii diplomate Petra Helia*. Statio erat mediterranea juxta *Antonini Itinerarium*, in quo *Petrina* nuncupatur. De *Petralia* inferius.

PETRÆ S. Blasii, littori *Tusæ* adjacent; Tres sunt, & a *Græco* etiam dicuntur. *Petra Broli* scopulus in mari castri, cognominis; *Petra Cerchiata* circa *Caroniæ* oram; Ingens est, & maris undis percussantari videtur. Ibi etiam *Petra Ursi*, quod belluę hujus figuram referat; *Petra Galia* ad *Nasi* proximum littus; *Petra Melitensis* in *Messanen*is fretus australi tractu

tractu; De his, aliisque minoribus scopulis Massa ex Vigintimillio fusè agit.

PETRALIÆ Superior, & Inferior: Opida inter mediterranea præcipuis comparanda, dudum Montecatini, hodie Toletis Hispanis Magnatibus subjecta, uti Colesanensis Comitatus dynastis. Superior collis jugum ab aquilone ad austrum occupat ad Nebrodis montis australes radices; Inferior illi subjacet in æstivum occasum situ declivis; Multa nive hyemalibus mensibus ambæ teguntur, & saluberrimi aeris habentur. In Superiori, Sicula voce *Suprema*, major parochialis Ecclesia ad ortum hibernum cum æris campani turri medio penè opido, S. Petro Apost: Principi, opidanorum quoque Patrono dicata, Archipresbytero committitur, sacrasque alias filiales edes x. sub ditio- ne habet, in quarum una S. Mariæ de Laureto nomine, Divina incolis etiam ad australes plagas degentibus ministrantur. Carmelitarum Coenobium vetustissimum, & per Siciliam v. habens in ordine originis locum, Deiparæ Annunciatæ addicitur, cujus est imago cum Archangelo, ejusdem ævi opus non vulgaris artificii. Elegantes e marmore statuæ in minoribus quoque sacellis, & complures ingenuarum gentium tumuli spectantur, unde sacrae ædi decus accedit. Ad australem porro opidi orā sedet, ac S. Alberti incolatu, qui anno mcccvii. provinciam rexit, insigne habetur. Duos hinc lapides pro Ecclesiæ muro ostendunt, quibus ille ab itinere fatigatus insedit, ægrisque adhuc hodie supra eos quiescentibus salutare. Paucis a pomerio diffidet passibus sub arce, S. Mariæ de Jesu, Minoribus Reformatis designatus ab anno mœcxii. Conventus, cum peristylio, in quadro positus, & elegans. Raymunda Bonamico Landri dynasta suppetias,

cun-

cunctusque populus adjuvantes manus ædificiis promovendis contulit; celebrem autem complures alumni, quorum infra recensam nomina, reddidere. Pietatis mons, & Hospitalis domus, ac denique Mariæ Collegium frequentibus locis spectantur, congruisque censibus in dotem, piorum civium munificentia designatis, gaudent.

Jam arx olim validissima circa septentriones, ruinis nunc affecta, toti opido dominatur, eique veluti caput imminet. Ibi olim dynastæ ædes, qui xxxiii. in Regni consilio votum profert, & Opidi Baro audit. Erant Caroli V. ævo illius lares 663. & anno mdcxcv. incolæ 3278. Medio elapso sæculo foci 1069. animæ 3849. Hujus decurrentis anno xiii. longè imminutus earum est numerus; computatę quippe 2959. in laribus 973. in nova descriptione nec illum æquarunt. Non desunt cœterò privatæ civium domus decentissimæ, & extra spectatu dignum Sgadari Suburbanum. In agro fons oleo innatante celebratissimus, quod mane collectum in vasis asservatur. Prope Deiparæ ruralis Ecclesia cum custodibus Eremitis. Est Oleum ad cutaneos curandos morbos aptissimum, abunde provenit, ac per insulam passim vulgatur. Ab eo *Petra Olei* civitas dicta est, & vulgo *Petralia*.

Inferioris *Petralia*, vernaculè *Sottana*, comptior est, utpote recenti ævo conditæ, situs, nec nisi passim. circiter a *Suprema* disjunctus. Parochiale princeps templum in ea Intemeratæ Virginis Conceptionis auspiciis ad omnem magnificentiam, columnis, fronte, turri, aliisque elegantissimis assurgit, ac medium occupat opidum. Archipresbyterum rectorē cognoscit, & xvii. minoribus jura dat. Minores Conventuales a foro haud procul incolant ab an: mcccclxxxiv. Ecclesiam
S. Fran-

S. Francisci titulo plastico opere, & auro splendidam habent, ac nulla hodie ædificiorum angustia, uti Cagliolæ ætate, premuntur; sed congruis, aptisque fabricis degunt. Reformatis loco superiori, circa septentriones decens claustrum civium pietas ædificavit anno MDCLV. atque sub S. Marię de Angelis nomine dicatum voluit. S. Marię de Odigitria auspiciis Capuccini an: MDLXXXVII. sub opido constituti Cenobium satis amplum obtinent. Ad oram opidi septentrionalem Sanctimoniales sub SS. Trinitatis patrocinio, ac S. Benedicti regula vivunt, clauduntque ab ea plaga pomerium. Commendantur autem ab exacto erga institutum studio, & vigili legum custodia. Adhærens S. Juliano domus Hospitalis pauperum, & peregrinorum usibus inservit, largis redditibus instructa. In sacris aliis ædibus Laicorum vigent sodalitia. Sunt illarum aliquot elegantes, ac splendide. Nitent quoque privatorum civium, ac divitum domus, quæ passim per opidum occurrunt. Computantur hodie in eo foci 1769. animæ 5529. Sub Carolo V. lares 663. incolæ non diu post 4980. & medio sæculo XVII. lares 1066. opidani 5440. descripti inveniuntur.

Communis utrique est Politienfis Comarchia; Idem Militiæ Instructor, Thermarum scilicet, sub quo equites x. pedites XLII. signa sequebantur. Peculiares sunt tamen Curatores, quibus cujusque opidi administratio committitur, & quorum electio penes Colefaensem Comitē stat. Messanensis demum Archiepiscopi fasces Clerus recognoscit, qui suas vices distinctim delegat, & munia commendat. Ager frumenti ferax, & vino nobilis colonos ditat, moscatumque egregium præbet. Armentis, & gregibus ob pingua pascua amicus, nec oleis, aliisque fructiferis

arboribus ingratus . *Bonpetro* vico, cujus ad II. circiter M. incolę enumerantur, paucis ab hinc annis notabiliter auctus, cultior inter vicinos evasit. Ministrantur *Bonpetranis* sacramenta in rurali Ecclesia, sed Baptismi gratiam in opido infantes percipiunt per Archipresbyteros . Distat vicus ad III. circiter pass. M. atque Alimenam versus accedit . Abluit eundem agrum *Petraliæ* fluvius, qui vulgi vocabulo a *Vannellis* appellatur, uti inferius dicam .

Illustres Viros, qui ex utroque opido originem traxere, confusè recenseam, uti sese memorię offerunt . Humilis Pintornus in *Superiori* natus ex Minoribus Reformatis, vitę, & morum innocentia clarus, ac eximius lignarius sculptor, artis suę experimentum in efformandis Christi Domini e Cruce pendentis, aut spinis coronati, Deiparę, & Sanctorum simulacris sepissime fecit, in quibus pietatem simul, & authoris industriam omnes demiramur, ac sicubi illa in sui ordinis præsertim asservantur Ecclesiis, summa religione ab incolis, advenisque coluntur . Referunt Humilis egregia gesta Minorum Legendaria, & Tognoletus . Bonaventura Farinella ex *Inferiori* Sacerdos, Reformatis accensus, moribus incorruptis enituit, regendisque fratribus, ac tyronibus instituendis statim adhibitus, viliora Cœnobii munia alacriter obire consuevit . Apud Pæctas meritis plenus mundo valedixit . Franciscus eiusdem instituti Tertiarius columbinę simplicitatis vir, & in Deiparam addictissimus, Alcami piissimè defunctus . De his Tognoletus . Joannes Baptista in *Superiori* ortus, doctrina, & sanctimonia insignis, pluries provinciam rexit, ac in patria tandem, prodigiis a Deo in morte honoratus decessit . Ejus vitę acta ritè collecta habentur ; Corpus
seorsim

seorsim decenti loco adservatur. Gaspar Trapani Capuccinus, ab *Inferiori* originem ducens, religione, innocentia, & vitæ exemplis clauit, sanctoque sine quieuit. Raphael Inguagiato ex eodem opido Conventualis, celeberrimus Theologus, & Orator. Angelus Principatus nostra ætate floruit, suos Reformatos pluries rexit; in Fidei Quæstionum aula a Consiliis, edidit contra damnatas in Theologia Morali Theses librum. Franciscus Zita ex Minoribus doctrina, & in Sacris Ecclesiæ legibus peritiæ singularis. Scripsit Virtutum Circulum, & in Sacros Canones Commentaria. Seraphinus Cardona ab zelo, & prudentia, necnon a moribus, & scientia commendatus. Ferunt aviculas ad eum sæpissimè advolantes cantu veluti plaudere visas, nec nisi accepta ab eo benedictione, recessisse. Jacet in suo *Superioris* Cœnobio. Josephus Faulisius Philosophus, & Medicus celeberrimus laudatur a Mongitore. Memorant quoque Ludovicum ex Observantibus, qui in Conventu Biddinensi virtutum exemplar vixit; sanctis operibus cumulatus, variisque a Deo gratiis affectus, ibi piissimè obdormiit.

Quum Colefanensis Comitatus utraque *Petralia* pars sit ab anno mcccxl. quo *Franciscus* II. Hieracensis Dynasta *Antonio*, secundo loco ex *Elisabetha* Lauria suscepto Colefanum reliquit, & *Petralia* dominatum adjecit; hujus Barones laudatos habes jam supra, ubi de Colefano; *Friderici* Cæsaris tamen ævo mcc. *Gilibertum de Monforte* Gratteris, ac *Petralia* regimen tenuisse lego in ejus literis, quibus S. *Georgii* de Gratteris bona aliquot cum *Isabella* uxore attribuit. Fuit idem Regni Seneschalcus. Anno subinde mclviii. ob navatam strenuè operam in bello contra *Carolum*

Andegavensē gesto, Manfredus Rex utriusque *Petrallæ* opida *Henrico Vingintimillio* dedit, qui *Alduino* & *Francisco* filiis, moriens assignavit. Horum habes successores ad *Franciscum* II. de quo supra, ubi Hieracenses Marchiones laudavi. *Petralia Inferioris* Baro in Regni Consilio votum profert xxxiv. Longitudo, & latitudo est demum utrique graduum xxxviii. xl.

PETRA NAVIS Turris Specula, aliter *Concharum* dicta, inter Promontorium Rasgelbi & Cephalegdim post stationem *Malpertusum*.

PETRA ROMÆ Arx egregie munita in S. Marci opidi ditone, littori impendens, bellicisque tormentis contra piratas instructa. Circa eam vicus cum hospitatoria taberna, & rurali Ecclesia ad *Filingeros* S. Marci Comites spectans, Arcis Præfectos. Memoratur in Regiis libris, & ad *Lorcanos* spectasse olim dicitur.

PETRA SERLONIS. De ea dixi in Valle Neti; est enim huic confinis sub Agyrio ad Salsi ripas.

S. PETRUS Opidulum sub Ætna inter Mascaluciam, & Nicolosum, Massæ Nunciatæ confine circa austrum, & hyemalem occasum, Principatus insignibus hodie decoratum, ex municipiis olim Catanæ, ejusque fascibus subjectum. Majus parochiale templum S. Catherinæ Virg: & Mart: auspiciis addictum, cui binæ aliæ suffragantur Ecclesiæ S. Petri & S. Mariæ de Gratiis sub Sacerdotis inspectione, Catanensis Episcopi vices gerentis. Ejus lares 153. incolæ 492. anno mcccxiii. descripti, qui novissime sunt 616. Agro utuntur vineis consito, ferendis fructibus apto, & Cereris prorsus non ingrato, sed aquis omnino indigo *Antonius Reytanus* anno mdcxlv. a Massensî Duce ære

ære soluto, accepit. Hic ab Regiis Ministris cum aliis emerat. Idem *Antonius* Philippi IV. privilegio post biennium Princeps renunciatus, *Felicem Dominicam*, consanguineam sibi matrimonio copulavit, moriensque hæredem reliquit; quæ ad secundas nuptias cum *Francisco Petrasanta* Mediolanensi transit, eique dynastiam dotis nomine attribuit. Ex his *Ægidius* supremus Panormi Siculæ Militiæ Moderator, ac Proregis Legatus, Drepani dudum, hodieque Capuæ, & ejus arcis Præfectus. Vivit prole dives.

S. PETRUS DE MONFORTE Opidum, vulgi voce *Sanperi*, ita appellatum, quod prope Monfortem in tumulo sedeat, & Monfortis Principis dominio sit obnoxium; Comitatus tamen tessera ab anno MDCXXVIII. insigne, & in Comitibus loco xxv. assidendi dynastis jus tribuens, Patrono, & parochialis Ecclesiæ Titulari S. Petro Apostolorum Principe lætatur, ac minoribus sacris ædibus viii. instruitur, quibus Archipresbyter jura dat, Messanensi Archiepiscopo diocesano subjectus. Carmelitarum sub Montis Sancti Reformatione Coenobium Deiparæ nomine insignitum, situ elevato, decenter constructum, elapsi sæculi est opus, ex quo prodiit Philippus morum pietate, variaque doctrina, & eruditione præditus. Prudenter provinciam rexit, opusque prælo dedit, cui titulum fecit: *Fama Tubam res Divinas, & Humanas resonantem*. Alios in idem Argumentum libros morte præventus typis paratos reliquit. B. Francisci de Paula ad oram opidi anno MDCXXXV. coaluit quoque Conventus S. Patriarchæ dicatus. Protulit celebrem virum Gabrielem Filoramum, ob doctrinæ, & vitæ merita, præcipuis in ordine muneribus affectus. Pro Itala enim natione Socius Generalis in Romana Curia

Curia Procurator, Apuliæ, & Messanenſis Provinciæ Rector effulſit. Edidit *Lapidem Lydium*, ſeu præclariffimum *De Præſcientia, & Prædeſtinatione* Tractatum. Reliqua ad hoc opidum ſpectantia conſule, ubi de Monforte, cujus eſt Municipium licet illo frequentius; lares enim habet 565. incolas 3106. Sed anno MDCLII. focos 680. capita 2115. numeravit, & anno MDXCV. 1840. In Cenu ſero Caroli V. Cæſaris cum Monforte venit.

S. PETRUS PACTARUM, ſeu *Supra Pactas*, Opidum, vulgo etiam *San Peris*, & a proxima urbe denominatum, in cujus Comarchia, & militari Præſectura computatur. Collis planum occupat verticē undique patentem, inter Raccudiam, & Libritium, quod uti vidimus, Pactis imminet. Circa collis radices Timethi amnis, aliter Pactarum, ſunt fontes, quorum latices agrum ſœcundant, oletis, vineis, ac moris undique refertum, colonisque non ingratum. Arx elatiori ſitu ad occaſum toti opido dominatur; Major Eccleſia ſub arce Apoſtolo Petro ſacra, conſpicua & ipſa, Archipreſbytero regenda concreditur; Parochia altera Deiparæ titulo clara, ſuo cum Sacerdote alterius oræ mortalibus Divina adminiſtrat. Aliæ ſunt minores, in quibus etiam Sacramenta incolæ percipiunt; aliæ ſodalitiis addictæ, omnes ſenarium complectentes numerum. Minores Obſervantes S. Mariæ de Jeſu patrociniſ, a pomerio haud procul abſunt, circa meridiem, & orientem, amœno loco, edificiisque benè concinnatis fruuntur. S. Mariæ de Monte Carmelo alterum Cœnobium frequens olim, decenter ſubrigitur hodie, & fidelium pietati ſovendæ maxime inſervit. Sacris Virginibus parthenon ſatis elegans aſſurgit, in quo S. Benedicti regulam illæ exactiſſimè

ctissimè profitentur. Clerus Messanensis Archiepiscopi Vicario subditur; Civiles res Magistratus ab dynastis delectus, Curatores nempe, Syndicus, & Criminum Quæstor moderantur.

Lares complectebatur medio sæculo XVI. in censu Caroli Cæsaris 775. incolas circa ejusdem exitum 2941. sequentis anno LII. focos 980. incolas 3572. Anno MDCCXII. focos 718. animas 2422. & nuperrimè 2795. Floruit ex ejus civibus Sylvester, Minor Capucinus, Evangelicus Concionator, Christiana virtute, & animæ puritate præcipuus, atque a Deo variis prodigiis honoratus, Messanæ magna sanctimoniæ opinione mortuus MDCXVIII. Habet latitudinis gradum XXXVIII. X. longitudinis vero XXXVIII. XLV. Ejus Barones in Regni Consilio locum occupant II. Est autem illorum series ab anno MCCCXX. repetenda, quo Friderici II. Census creditur exaratus. In eo enim Heredes *Joannis de Manna* Judicis pro variis opidis Regiæ Curie obnoxii dicuntur, & pro *S. Petro supra Pastas*. Tenuisse autem Dynastas alios ante Fridericum illius regimen, facile crediderim, hic enim Princeps MCCXCVII. literis mense Majo Mylis signatis ad Regium Demanium id opidum revocavit, parebat idcirco privatis ante eundem annum. Post *Joannis* heredes *Berengarias de Orioles*, ejusque filius *Joannes* opido potiebatur. Hinc Fridericus ejus nominis III. MCCCXVI. rursus ad se revocare voluit; quum enim *Joannes*, & *Mansfredus* fratres pessimè opidanos haberent, tyrannici domini pertæsi hi, in arce ipsa illos confoderunt. Veniam Rex occisoribus concessit, ac sua sub clientela eos recepit MCCCXXI. Verum *Berengarius II.* *Joannis* filius rursus in *S. Petri* possessionem inductus est; anno idcirco MCCCXVI. Martini I.

tini I. beneficio, a quo recesserat, in gratiam receptus dicitur, & Raccudie dominus insuper constituitur.

Ex *Berengario*, & *Isabella* uxore *Manfredus*, hic gladii potestatem mccccxx. impetravit, post quem anno mccccliii. *Berengarius* III suffectus, qui ab *Alphonso* Rege statim confirmatur. Tunc sub Regia potestate *Sanpetrini* constitui postularunt. Verum *Petrus Sancii Berengarii* filius in dynastie possessione perstitit ad annum mccccclxxxix. eique absque prole defuncto alter *Petrus* successit; hunc *Joannes Thomas* ex *Manfredo* progenitus excepit, subindeque *Marianus*, & *Oratius*. Duxit hic in uxorem *Mariam Moncadam*, & *Lunam*, ex quibus *Melchiora* anno mdcxviii. *Joanni Forti Natoli Sperlinghæ* Principi nupta, unde *Franciscus*. Hic variis ex causis, *S. Petri* dynastiam sibi vindicavit, & in Comitibus *Messanæ* habitis mdcxxxvi. uti illius Baro votum protulit. Verum *Bartholomeus*, alibi lego: *Vincentius Cætanus* majori summa exhibita *Francisco Natoli* prelati, opidi dominus evasit, filiisque transmisit. Ex *Vincentio* enim *Bartholomeus* *Alcantaræ* Eques *Caroli II.* Regis familiaris, *Panormi* Prætor, *Felicis Orioles* ex *Oratio* exortæ maritus, quæ *Castellifortis* Princeps est renunciata. Peperit hæc *Vincentium* minoritate fato functum, & *Josephum* *Antoniam Brancifortiam Villanovæ* Principi sacris vinculis adjunctum. Horum hæres unica *Antonina Blasco Corvino* *Mediulsi* dynastæ uxor effecta, hunc *S. Petri* Baronem constituit. Vivunt *Dominico* filio aucti, qui *S. Petri* dominus parentum voluntate mdcclii. est dictus.

SS. PETRUS, & PAULUS DE AGRO' Ordinis S. Basilii Abbatia. Vide *Fortia Agrò*.

SS. PETRUS, & PAULUS DE ITALIA *Basilianum* Cenobium. Consule *Itala*. S. PE-

S. PETRUS Vicus in Mylenſi Planitie cum Parochia, ex municipiis ejuſdem urbis, æquo ſolo ſitus, ſecus Regium iter. Prope eſt vicus *Cavaleris*.

PEZZOLUS Meſſanenſe Municipium in meridiẽ, tumulo inſidet ad fontes cognominis amnis, declivi ſitu; cujus Parochia ſuo cum Curione S. Nicolai nomine decoratur; ſed incolarum Patrona Deipara de **Gratia**. Degunt hi in laribus 205. explebantque an: **MDCCLXIIII.** numerum 797. hodie 627. computantur. Minores Eccleſiæ iv. eorundem pietatem fovent. Clauit Joannes de Flumaria *Pezzoli* humili loco natus, qui SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum ordinem ingreſſus, ſub laicorum habitu, vitæ innocentia, aliſque virtutibus innotuit. Obiit Catanæ **MDCXXII.** cujus funus ingenti populi, Epifcopi, & Senatus frequentia curatum.

PHARUS Opidum, & Turris ſpecula, portus viam facibus nocturnis nautis indicans. Munimen turri adhæret tormentis majoribus inſtructum, quod milites ſub Præfecto cuſtodiant. Alibi nominis ethymon expendi: Φ ΑΡΟΣ quippe Græcis *Lumen* denotat. Quum porro vicina omnis regio a *Pharo* dicatur, opidum in ea præcipuum eodem vocabulo compellatum voluere, uti & vici alii, de quibus actum, S. Agatha, Curcuracis, & Pax. Major *Phari* Eccleſia Deiparæ Virgini de Epiftoſa ſacra, ſuo cum Parocho, aliis x. filiis præſt. Subduntur autem opidani Meſſanenſis Senatus ſcibibus, qui Ducem pro ſeptentrionalibus municipiis conſtituit, virum patritium. Eſt ſitus opidi in montanis ad ortum, & meridiem vergens. Ejus cum S. Agatha, aliſque caſalibus foci 266. computantur; animæ in cenſu de an: **MDCCLXIII.** erant 1451. hodie 2017.

PHETICINUS Amnis. Ita a Fazello appellatur *Facelinus*, sive *Melas*, & nostris hodie *Nucitus*.

S. PHILADELPHUS Opidum, vulgo *Sanctus Frater*, seu *Sanfradellus*, collibus inhæret aquilonari Siciliae littori ad III. pass. M. imminentibus, inter Furianum amnem, & Rosmarinum, qui veteribus Chydas; quamvis inter utrumque alter præfluat, ab *In-ganno* appellatus, & qualis Chydas fuerit aliunde ex primis duobus adhuc sit penes authores incertum. Ex Aluntii antiqui opidi reliquiis, haud procul in colle siti, coaluisse S. *Philadelphum* tradunt nonnulli, idque opidani mordicus substinent. De illo loquens Ego in superioribus, rem esse sub iudice protuli; alii enim ad S. Marcum Aluntium statuunt. Opidi sane non exigui rudera in colle proximo, uti innui, spectantur; hæc autem, cujus fuerint, Aluntio alibi constituto, Me nescire fateor. Ea inter lapis in Ecclesia ad occidentum murum, quæ olim Ordinis S. Basilii Abbatia fuisse dicitur, habet: ΟΔΑΜΟΣ ΑΝΔΡΟΝΑ ΙΕΡΑΣΙΟΥ ΜΒ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ ΘΕΟΙΣ ΠΑΣΙ. Id est: *Populus Domum Hierasii Beneficii Ergo Diis Omnibus*, Et in angulo quoque Sacrarum paræcialis ædis S. Nicolai in opido, alter signatur lapis: ΣΟΣΠΟΛΙΣ, qui e proximo colle translatus; ut lucernas, vasa, lateres, & alia hujusmodi præteream; quæ quidem omnia vetustæ habitationis præbent indicia, sicut de Aluntio nihil penitus innuant. Nam reliqua, quæ passim afferuntur, de Gigantum ossibus, de Turio fundatore, de Vascona proxima urbe, & Turiano castello, vulgi sunt somnia, nec iis recensendis immoror.

S. Philadelphi ceterò situs declivis est in austrum; occasum, & orientem; ad aquilonem enim rupibus in sublimi

sublimi **Arx** vetus incumbit, olim magnifica, hodie ex reliquiis cognita; in tumulo ad occidentem **Major** Ecclesia titulo **Assumptę** Virginis insignis, in oratorio **S. Nicolai** parçialis, quę de principe loco, & vetustiori fundatione contendit. Utramque suo sub **Parocho** Clerus, divinis intendens officiis certatim, piaque emulatione frequentat, & in prima, quę **Archipresbyteri** sedes audit, & duplici columnarum ordine fulgebat, **SS. Fratrum Alphii, Philadelphi, & Cirini** corpora, aut pars corporum summa veneratione aservari dicuntur; quę tamen **Leontini** cives integra apud se esse mordicus affirmant. Sunt autem illi precipui opidanorum **Patroni**, & nomen opido vulgare a *Sanctis Fratribus* fuisse olim tradunt, quod in *S. Philadelphi, & Sancti Fratris* immutatum. Sub eadem **S. Marię** Ecclesia elegans ordinis **S. Benedicti** Monasterium sacras **Virgines** excipit, ad exactam instituti custodiam intentas. Circa septentriones extra pomerium **S. Marię de Jesu, & S. Antonini** nomine **Minorum de Reformatione** Cenobium, ab an: **mdcxvi.** originem cognoscens. Extabant, uti est traditio, **S. Dominici, & S. Francisci** Tertii Ordinis claustra, quorum vix ruinae supersunt: Inter Ecclesias filiales, **x. m. Martyrum** vetusta, **Lateranensi** Basilicę subdebatur; Sacra ibi administrabant deputati **Sacerdotes**, uti & in **S. Joanne** prope **Reformatos**; alia sub **Christi Domini** e **Cruce** pendentis auspiciis octogona figura, fabricis, & ornatu conspicua surgit; in **Æremitarum** dono **SS. Fratrum** loculi extant, in quibus **S. Theclam** beata illorum corpora deposuisse docent.

Jam proprio utitur stemmate opidum, **Aquila** nempe, in cujus pectore tenia cum effitu *Spero*. **Indignę Militię** instructori sedem præstat, quod mu-

nus dynasta gerit, & sui legatum constituit. Merò, & mixto imperio, seu gladii omnimoda potestate gaudet, & in Mistrettæ Comarchia clauditur. De sacris rebus Messanensis Archiepiscopi Virarius judicat. De Civilibus Magistratus inspectionem habet, quem annum Baro designat. Sub Carolo V. descriptum 636. lares numerabat, & anno MDCXCV. animas 2300. Elapsi sæculi anno LII. lares 950. incolas 3419. decurrentis anno XIII. focos 858. cives 3236. & novissime 3613. recensuit. In subiecto littore ab Aquis Dulcibus dicto, dynastæ amplum palatium turritum cum tormentis bellicis, & humiles casæ circum. In agro latissimè patente, nec fecunditas, nec amenitas desideratur, nam segetum dives, serici, olei, vini, olerum, ac fructuum copia nulli decedit, & venationi aptissimus habetur. Censetur, nec iniuria, *S. Philadelphus* una ex Langobardorum coloniis ab Rogerio Comite deductis, idque incolarum sermo clarissimè ostendit, præ aliis ejusdem gentis in Sicilia fundatis obscurior. Floruit ad hæc nostra tempora, at nuperrimè MDCCLIV. post non levem pluviam, subsidens solum ad multa jugera, opidum pene medium circa occidentem in ruinam traxit, ipsaque *S. Mariæ Parochia* pene etiam media, dehiscente terra, absorta, ingenti jactura periit, quæ opportuniori in loco moliri cæpta. Ejus est latitudo grad: xxxviii. x. ac pene æquallis longitudo.

Northmannorum ævo, & primis Aragonensium annis sub cujus dominio *S. Philadelphus* steterit, non invenio. Sub Friderico III. gens *Aragonia* tenuit; at quum *Vinciguerra Friderici Aragonii* filius ab officiis recessisset, dynastias amisit, quas idem Princeps *Oliverio de Messana* attribuit. Hunc excepit *Henricus Rubens*, qui & ipse defecit sub sæculi xv. exitum.

In

In censu hinc Martini de an: mcccviii. *Angelottus de Larcan Terræ, & Castellum S. Philadelphi* Baro renunciatur, cujus hæredes ad sæculum usque xvii. elapsum eo potiti dicuntur. Apud Barberium, qui seriem producit Baronum, postremus *Antonius Larcan* recensetur. Sub Alphonso Demanialibus accenseri opidani postularunt, sed illorum rejecta est petitio. Id rursus sub Ferdinando, sed incassam contenderunt. Censu de anno mdcxcv. *Larcanos de Soto* dominos exhibet, uti & *Sancetta* anno mdcxxviii. *Joseph Luccheseus, Delia Marchio* effectus, uti *Julia Spatafore, & Larcan* amitæ hæres *S. Philadelphum* an: mdcxxxix. assecutus, filiis *Gaspari, & Petro* reliquit. Ille absque prole decessit, *Petrus* frater innuptus *Juliam* sororem vocavit, quam *Nicolaus Antonio Lucchesio* sacris vinculis adjuncta, *Annam Mariam* huic peperit, *Ferdinandi Gravina* Paliconiæ Principis conjugem, ex quo *Ignatius Sebastianus Ferdinandi II.* pater. Vivit hic *S. Philadelphum* Baro in Comitibus loco iv. v otum proferens.

Illustres viri: *B. Benedictus*, Niger a colore, quem vultu referebat, appellatus, animi tamen, morumque candore præcipuus. Eremitæ cultor primum, hinc Minoribus Reformatis accensus, virtutibus in eximio gradu præditus effulsit, mirisque a Deo prodigiis in vita, & morte honoratus. Ejus extant præclara gesta typis edita, & apud Tognoletum fusæ exarata. Laudat hic *Brigitam Carbonettam, & Alefiam Steccato* Virgines, ejusdem instituti assecclas, quæ elapso sæculo vitæ innocentia, & singularibus virtutum exemplis florere. Nec non *Seraphinum* Ordinis ejusdem *Generalem Definitorum*, a scientia, & probitate clarissimum. In Sicula Bibliotheca celebrantur

tur Joannes Dominicus Candela Societ: Jesu insignis Theologus, & Ecclesiastes, qui provinciam rexit, & magna probitatis fama Catanæ mdcvi. mortalitatem exiit. Typis dedit de Virginitate libros; & Josephus Cajola ejusdem Societ: summus Evangelicus Orator; Ad Romana Comitia Siciliæ legatus, demumque regendæ provinciæ admotus. Edidit habitas per iv. Iustra in sacro Jejunio Conciones.

S. PHILIPPUS Acis Municipium. Consule *Acis S. Philippus*.

S. PHILIPPUS *Casalottus*, ex Messanensibus municipiis ad austrum supra *Dromum*, opidulum suæ cum Parochia, ab illa S. Philippi Inferioris discreta, de qua dixi.

S PHILIPPUS de Fragalà Monasterium. Vide *Fragalatis*.

S. PHILIPPUS Opidulum ad S. Luciae Parochiã, & dominatum, veluti ejus Casale spectans, in Myleni regione tumulo infidet cum Ecclesia eidem Divo sacra; unde mortales Divina percipiunt. Ibi vetus cognominis Abbatia, ordinis S. Basilii, cujus ad Regem spectat collatio; hodieque Joannes Baptista Vaccarinus Sacerdos Panormitanus ea insignitur, qui inter Ecclesiasticos proceres ultimum profert in Comitibus votum. Fundatio Rogerio Comiti adscribitur. Defecisse in ea Monachos sæculo xv. tradunt, & commendatam anno mcccclv. Abest a S. Lucia pass. v. v. in aquilonem.

S. PHILIPPUS MAGNUS, & PARVUS Opidula in Messanensi australi ditione, ad iii. lapidem collibus inhaerent, a celebri cognomine Abbatia ordinis S. Basilii appellata; quam sic describit Pirrus lib: 4. Not: 14. *Hæc Abbatia, quæ in eminenti & per-jucundo*

jucundo colle consurgit ob aeris salubritatem, florentium fructiferarum arborum varietatem, amœnumque aquarum cursum, atque templi more Græco & Theutonico conditi, officinarumque amplitudine nobilis est. Ad hujus ergo collis latera opiduli consurgunt *S. Philippi Magni & Parvi.* vocabulo. Primum cum *S. Nicolai* Parochia ac binis minoribus Ecclesiis laribus 130. incolis circiter 600. conflatur. Alterum focos enumerat 74. incolas 400. & sub *Deiparæ* titulo Parochia, ac filialibus Ecclesiis 11. etiam instruitur. Utrumque *Messanensis* Senatus regimini, & ejusdem urbis Archiepiscopo subest.

Cœnobium porro ab religiosa specu, in qua vitam egisse aliquando *S. Philippum Agyrensem* tradunt, dictum, in ejusdem Divi honorem, atque in perenne de protritibus barbaris monumentum *Rogerus Comes* amplis attributis prædiis, constructum voluit, anno *mc.* uti ejusdem diplomate constat, quod *Athanasius Abbas* *Rogero* subinde *Regi* firmandum obtulit. Perdurant *Monachi* ad hæc nostra tempora sub *Abbate Regulari*. At quum *Regiæ* præsentationis sit dignitas, *Commendatarium* ab an: *mccccxlix.* *Bessarionem* celebrem *S. R. E.* *Cardinalem* habuit *Abbatem*, *Hadriano Flammæ* postremo ex *Monachis Præfato* successorem. Est hodiernus *Emmanuel Filingeri*, & *Cottone Panormitanus*, qui *lx.* circiter scutata ex residuis bonis percipit; quumvis affirmet *Pirrus*, quod ad *d.* olim, ac sua ætate ad centum annui computarentur proventus. Locum habet in *Comitiis xxxii.*

PHOENICIA MONCADA Opidum. Quum anno *mdclxix.* *Ætæ* incendia *Malpassum* ad ejusdem montis radices circa hibernum occasum non tantum devastassent, *Incolæ* æquum sibi campum delegere a
Valle

Valle Currenti haud diffitum, ibique novum excitaverunt; nomen, quod veluti *Phœnix* ab incendio revivisceret, atque ab Dynasta *Raymundo Guillelmo Monsada* indiderunt. Verum anno MDCXCIII. ex terræmotu labefactatum, ob aeris intemperiem vacuum prorsus relictum, nonnisi in publica Regia via reliquias ostentat inter Catanam & Paternionem, quas idcirco vulgus Terram Novam denominat.

PIORUM CAMPUS sub Ætna olim, de quo Diodorus, aliique veteres; locus nempe ab Ætnæ incendiis servatus immunis, ut Amphinomi, & Anapiæ fratrum in parentes pietas commendaretur. Ingruente enim igne, quum ex illis matrem unus, alter patrem, humeris sublato, ut servarent incolumes, deportarent, nec onere gravati progredi opportune possent, nec onus tamen deponerent, flammæ hac illac divisæ, spatium occupare non ausæ, liberos illos reliquerunt. Fratres hinc *Pii* appellati *Campo* nomen indiderunt. Locum indicat Carrera, circa opidum Tricastaneorum, sed omnino incertum meo iudicio qui dixerit, congruentius loquetur.

PIRAINUM Opidulum, *Pilainum* aliis. Vide *Pyragnium*.

PISTUNERA, aliis *Pistania*, Messanense Municipium in Dromo, seu Regia via occurrens, cujus est parochialis Ecclesia frontem habens conspicuam, & Turrim, S. Nicolao Episcopo dicata, cum laribus 73. incolisque 306. qui anno MDCXCIII. computati 278. Ibi Capuccini domum habent hospitalem, & Messanenses nobiles cives suburbana.

PITINÆUM Opidum, & Flumen. Vide *Petbinæum*.

PIXUS vetus Opidum a Micito Messanensi Tyranno colonia auctum, cujus nequit situs designari.

PLACA

PLACA BAJANA Vicus Broati opido adjacens, ac sub ejus Parochia comprehensus, Ecclesiam habet S. Michaeli Archangelo sacram, unde Divina coloni participant; qui in censu cū Broate veniunt. *Placcha Bajana* Casalis in territorio Troynensi meminit Barberius in Capibrevio, ejusque possessores commemorat ad ann: MDVI. Erat sub Martino *Margaritba de Vallone*, hodie ad *Alcontris* Principes spectat.

PLACA S. Salvator Basilianum Cœnobium, ac Abbatia. Vide *S. Salvator*.

PLACHÆ Opidum sub Ætna, Catana ad m. pass: iv. distitum. Consule *Gravina*.

S. PLACIDI Monasterium in amœnissimo sedet colle ad pass: m. viii. ab urbe Messana, qui fretus littori impendens, de Calonero, & olim S. Dominicæ appellabatur. Primi, ac veteris illius fundatores circa annum MCCCXI. Viri Messanenenses fuere, nobilitate, ac religione insignes, Robertus de Gilio, Maurus de Speciali, Diaconus, & Joannes de Sancta Cruce, qui Leonardo de Austasio, in socium adscito, sæculo renunciantes, S. Benedicti Regulam professi, aspero quidem loco, sed monasticis institutis aptissimo confedere. Leonardus porro S. Nicolai de Arena monachus vixerat, ac B. Angelo de Senisio Instauratori, & Abbati S. Martini de Scalis adjutor datus, Messanæ relictus, Coloniae Primas constituitur; At quum aucto Monachorum numero, post sexennium Urbani V. facultate, Abbatiali honore Cœnobium fuisset donatum, Philippus de Dulci S. Nicolai etiam alumnus, Abbas renunciatus, ad annos xvi. optimi pastoris fama præfuit. Sub Placido de Campolo iv. Abbate in celebriorem locum jam supra descriptum Monasterium translatum, brevi ibi decentibus ædificiis ab

an: MCCCCLV. coaluit, aliisque IV. Abbatibus ad MCCCLXXX. paruit. Tunc Siculae Congregationis promotis auspiciis, nostrum cum primis eidem addictum, aliquando sub Abbatibus, qui ad tempus præerant, vixit; Hinc cum aliis provinciæ, in unum cum Casinensi Congregatione corpus MDVI. unitum floruit, & XXXV ejusdem sæculi anno Carolum V. Cæsarem, e Tunetana victoria redeuntem hospitio excepit. Magnificentissimis posthac fabricis, nobili peristyllo, laxioribus officinis, & Monachorum cellis crevit adeo, uti conspicuum undique, ac præsertim e pelago se præbeat, nec ulli alteri secundum habeatur. Tenet S. Mariæ Magdalenaë adjunctum, ab Rogerio Comite conditum, atque ex Monasterii in Valle Josophat membris præcipuum, in urbe Messina extra portam Imperialem ad suburbium Cieram, in quo hodie Abbatis est sedes, ab Anselmo Valdibella doctrina, & moribus claro occupata, ac in Comitibus II. loco constituta.

PLANUM Vicus opidi Trimisteris, sub Ætna ad meridiem, cum Ecclesia B. Virgini sacra. Nomen a situ habet, equo enim sedet solo, imminetque Trimisterio circa aquilonem.

PLOTÆ Æoli Insulæ, ita a Dionysio appellatæ in Periegesi: *Septem autem ille sunt, cognominatæ ab hominibus Plotæ; Et quod in medio earum navigatio sit circumflessa.* Ad quæ Eustathius: *Æoli Insulas mari circumflessas VII. ait esse, ab hominibus Plotas appellatas; id est nomine rei congruo sic dictas; non quod moveantur loco (nam Plota insula ex Svida est, quæ nutat) quemadmodum de Delo fabulantur, sed quia per medium earum navigatio circumflessa dicitur, id est quod undique circumnavigari possint.*

POLLA Casale olim Ecclesie Messanenſis in Eugenii III. Rom: Pont: diplomate memoratum, inter alia Dioceſis ejuſdem opida, quo ſane vocabulo *Pollinam* denotari citra dubium putaverim; eo quippe anno, ſcilicet **MCLI.** nondum Cephalædenſis Eccleſia, & Episcopatus extabant, ac Pollina de Meſſanenſi Parochia cum *Polie, Gibilman, Grattera, Cephaluth, Goleſano, Calatabatur, Sclafan, & Paſtis* cumputabatur, uti in Eugenii literis legitur.

POLLINA Opidum fundatum in montis ſupercilio, qui aquilonari Siciliae littori imminens præ aliis, toti regioni, ac Tyrrheno oppoſito mari dominatur. Menibus illud cingebatur, & arcem circa occidentem hibernum rupibus impositam, ponte, & fossa ſejunctam, expugnatu difficilem ostentabat; arte idcirco, & situ munitissimum erat. Quod vetus Apollonia ibi olim steterit, non incongrue Aretius, Cluverius, alique vulgarunt, uti jam supra reposui. Perdurasse sub Sarracenis, erui etiam potest ex allatis mox verbis in Eugenii III. diplomate; sub *Pollie* enim nomine *Pollina* venit, quod opportunè adnotavi. Quumque Cephalædenſis Eccleſiæ ſubinde Parochiam Nicolaus Meſſanæ Archiepiſcopus Alexandri III. autoritate **MCLXVI.** designaſſet, & *Pollinam cum ſuis* eidem ſubjectam declaraſſet, Casale de *Polla* illius eſſe juris dicitur in Pontificio diplomate. Quod in alio quoque de anno **MCLXXVIII.** clariuſ expenditur, ubi ab eodem Pontifice bona recensentur, Principum liberalitate, Cephalædenſibus Episcopis attributa: *Civitas ſcilicet ipſa Cephalædenſis cum omnibus pertinentiis ſuis, Casale de Pollina cum omnibus pertinentiis ſuis*; & quid quid Adelaſia Comitſ Rogerii Neptiſ eidem contulit. Jam Fridericus

Cæsar, & Rex mcci. Castellum *Pollina*, & alia Episcopatus jura *Joanni Cicale*, ejusdem Rectori confirmat; Sub *Harduino* vero *Joannis* successore idem Castellum malè alienatum, tarenis octingentis mcccxxii redimitur. *Jacobi de Nernia* demum Cephalexii Pontificis opera, anno mcccxxi. Castrum *Pollina*, cujus annui proventus xxx. vel xl. auri uncias non excedebant, & ad illius custodiam, ædificiorumque reparationem expendebantur, cum casalibus *Fermenino*, & *Veneruso*, Juris *Francisci Vigintimillii*, Hieracensis Comititis commutatur; *Francisci* hinc successoribus ad hæc nostra tempora cessit, qui uti *Pollina* Barones xlviii. in Comitibus votum proferunt. Ejus fuerunt lares *Caroli V.* ætate 360. & anno ejusdem sæculi. xcv. animæ 1231. At vero anno mdclii. in Regiis libris lares 275. incolæ 995. Ex *Pirro*, qui circa idem tempus scripsit foci 329. incolæ 1234. Nostro hoc sæculo anno xiii. lares 219. incolæ 798. & novissimè 982. Subest opidum *Cephalexensis Comarchiæ*, & *S. Philadelphi Instructori*.

Major parochialis ædes sub *S. Petri* Apost: patrocinio, Archipresbytero conceditur, in qua pario marmore Nativitatis Domini mysterium, statuis ad omnem elegantiam, celebris *Cagini* scalpro effictis, demirandum datur. Domus hospitalis, & Mons Pietatis in æde *Spiritus Sancti* a *Pirro* memoratur, nec non antiquissimum *Minorum Conventualium* Monasterium, quod defecit. Ager olea, vineta, frasinosa, & fruges fert, sed pascuis præcipuis abundat, remque pecuariam idcirco auget; cui dant operam coloni. Nemoribus quoque scatet, & carbonariam exercendi aditum iisdem præbet. Aëris est saluberrimi, & circa gradum longitud: & latitud: xxxviii. statuitur. De *Pollina* fluvio vide *Monalis*.

POR-

PORTÆ REGALIS, & LIGNORUM. Sunt Urbis Messanæ suburbia extra portas cognomines; sed illud a S. Leone etiam nomen habet, cum Ecclesiis S. Leonis, S. Antonii Abbatis, Jesus & Mariæ, S. Marię Novę, ubi Laicorum sodalitia, & Parochia satis hodie magnifica, S. Marię de Arcu titulum referente. Ejus olim incolas ad xx. m. excrevisse tradunt; qui juri subdebantur parochialis templi S. Matthæi. Alterum a Lignis nuncupatum circa extremam occidentalem urbem plagam laribus 240. circiter conflatur, Cœnobio ordinis S. Marię de Mercede titulo ad Pedes Cryptę, aliisque sacris ædibus instruitur. Subest Parochiæ S. Antonii, & saluberrimi aeris audit. Ab ea haud procul Carbonis fossilis mineræ, quas Ego primus recentioribus civibus indicavi; quibus & hodie in metallicis officinis ad Flumen Dionysii operę utuntur.

PORTELLÆ AD MYLAS, & TAUROMENIUM. Vide *Fauces Mylenses, & Tauromenitanæ*.

PORTUS SALVUS Castri Regalis Casale, iii. fermè pass: m. ab eo disjunctum in æstivum occasum. Dicebatur olim *Trabifonda*, si quorumdam fabulis credimus. Ejus Parochia Deiparę cognomini dicata, cum addicte Sacerdote, ad S. Joannis usque Hospitalem domum, ab ordinis Jerosolymitani Equitibus dudum institui cœptam in agro sibi subjecto, extendebatur; nec non ad vicum a Thermis appellatum; quod ibi Thermales aquę sulphurę ad balneorum usus scaturire videantur, ubi & Monasterii S. Marię de Thermis, Cisterciensis instituti, in opido Noarę, Hospitium confurgit.

PORTUS XIPHONIUS Veteribus notus, juxta Cluverium hodie Augustę; Taurum enim Promontorium,

torium, nunc Siculis Sanctę Crucis, eidem est *Xiphonium*, ac prope illud *Xiphonia* stabat. Nobis autem aliisque *Xiphonia* ad S. Annę Caput; aliter *Molendinorum*; hinc *Xiphonius portus* ad aquilonare Catanensis sinus sub Aci opido latus statuitur.

PRATUS Amnis, idem ac *Rossolinus* ab agro cognomine, quem abluit, ita appellatus. Vide infra.

PROSERPINÆ SPECUS In *Ætna* monte, si *Carerę* credimus; sed apud *Ennam* rectius, ubi ejusdem *Proserpinę* raptus, statuitur.

PROTONOTARIUM *Casale* ad *Castri Regalis* estivum solis occasum bis pass. m. ab eo distans, cujus ditioni subjicitur. Olim *S. Dominicę* dicebatur, quod colli insidebat; Hujus hinc ad radices *Protonotarium* hodie videtur, cum parochia, quę *S. Dominicę* titulum refert. *Centini* vicus ad illud spectabat, qui hodie ruinis patet. Hujus autem Ecclesia *S. Nicolao* Episcopo sacra. Est Feudi *Protonotarii* hodie dominus *Benedictus Grassus* *Partanę* Princeps, & *Gualterii* Dux, jus habens ab *Elisabetha Marini*, cujus progenitores elapso sæculo *Protonotarii* dynastiam sunt assecuti. Juris olim sub *Friderico II.* dicitur *Petri de Falcone* *Messanensis*; sub *Martino Nicolai de Barchellis*. Sæculo xvi. *Fridericus Portius* illius dicebatur *Baro*, ejusque successores, unde ad *Marinos* transit.

PULCHRUM LITTUS apud veteres memoratum, *Calacta*. Vide.

PUTEUS GOTHI, Civitas *Demanialibus* accensa, idest Regis immediatę potestati subiecta, vulgo *Pizzas Gotti*, recentis est nominis, & originis; non enim sæculum xvi. excedit. *Æquo* sedet solo ab *aquilonari* ora pass. m. circiter recedens, atque a *Barcelona*

cellona medio Castris Regalis fluminæ, vulgo *Marsalese*, discreta. Nomen ab Philippo Gotho, qui turrim ædificavit in agro, & fodit puteum sortita est; circa quam mortales congregati, brevissimè coaluere, & novo opido auspicia dederunt. Una porro perpetua, ampla, & recta via ab æstivo ortu ad hibernum extenditur occasum, & in eam alię brevi tractu incurrunt semitę. Templum hodie S. Vito Martyri civium Patrono sacrum, circa centrum spectatur elegans, & majoris munia gerit, decemque aliis minoribus Ecclesiis jura dat; sed nova paucis ab hinc moliri cepit Basilica, quæ Principis ædis prærogativa donanda. Carmelitani ordinis decens asceterium circa orientem Beatæ Virginis tutelaris nomine assurgit, loco parumper elevato, ubi vetus erat S. Andreae Ecclesia; Capuccinis vero sub Conceptionis titulo extra ad ortivam etiam plagam in levi tumulo cœnobium addiçtum anno mdcxxiii. coaluit.

Clero præest Archiepiscopi Messanensis Vicarius; Archipresbyter parochiam, seu primariam Ecclesiam Sacerdotibus x. vulgo Capellanis, adjutoribus, Divinis officiis frequentat, & animarum intendit curæ. Civibus, Curatores iv. in Regni consilio postremo loco, idest xliii. assidentes; Syndicus Populi nempe Procurator; Quæstor criminum, qui jure gladii est espers, & Judices in lege periti, jura dant. Comarchiam *Puteus Gothi* constituit, & Pactensem Instru-ctorem cognoscit, bello ingruente, militię urbanę Pręfectum. Primus ejus census medio elapso sæculo lares 718. incolas 2506. exhibuit. Anno mdccxiii. foci 629. animæ 2393. & recenter 2949. descriptæ sunt. Longitudinis demum gradum xxxix. & latitudinis xxxviii. xv. computat. Turris *Putei de Gotho* ad litoris

toris custodiam, una ex Siciliae speculis post amnis Castri Regalis, seu Longani fauces surgit.

PYRAGMIUM Opidum, vulgo *Pirainum*, ac Fazello, Aretio, aliisque *Pilainum*, a *Pyragmone* Cyclope, Vulcani juxta fabulas ministro, si Maurolyco, & Samperio credimus, nuncupatum, non longe a littore post Pactas in montanis subrigitur; Littori autem *Scinà* est appellatio. Dioecesi Messanensi concluditur, sub Comarchia tamen, & Militari praefectura ejusdem Pactarum urbis comprehenditur; nobilis demum de *Dente* familiae dominio, Ducatus insignibus ornatum, est hodie obnoxium. Opidi aspectus in austrum, & occidentem vergit, Arx in supremo clivo, & dynastae palatium circa septentriones, situ amoenissimo mari imminent. Sarracenis illa adscribitur, hodieque pro noxiis custodias tantum habet. Major parochialis Ecclesia SS. Trinitatis Mysterio sacra sub Archipresbyteri cura circa supremas oras; quam vidualia matrem recognoscunt. Minores de Observantia S. Francisci nomine Conventum incolunt. Ad egros pauperes curandos domus Hospitalis confurgit. Lares Caroli V. aetate computabat *Pyragmium* 230. & anno MDXCV. incolas 1218. Subsequentis saeculi anno LII. censi sunt lares 480. opidani 1984. Nostro decurrente sub Victorio Amedeo foci 590. animae 1835. & recenter 2364. Cleri regimen Archiepiscopi Vicario commendatur, Civile penes Magistratum est, quem Duces designant. In agro olea, vineae, mori, potissimum coluntur, fruges & fructus, ad vitae necessitates, ac reliqua Cereris munera non desunt; pascua demum uberrima proveniunt, nec ad jucundam venationem saltus, ac nemora desiderantur.

Cives ejus celebrant Antonium Natolim Minorem

rem ascetam, qui diu inter Observantes doctrina, & vitæ meritis effulsit; indeque ad Reformatos se transferens, longè majoribus virtutum studiis innotuit. Italiæ provincias Apostolicus Commissarius visitavit, & Custos in Sicilia fuit, ac demum Romæ sanctum vitæ finem invenit. De eo in Seraphico Paradyso Tognoletus, Lucas Uvadingus, Pirrus, & Mongitore, aliique. Vulgavit *Viridarium Concionatorum*, & in S. Francisci Regulam Commentaria. Pirrus Pactensem dicit, quod vulgo de *Pactis* diceretur. Josephum Escasittum S. T. D. ingenii acumine, & memorię felicitate præcipuum, adeout audita concione, ad verbum eam domi exscriberet. Claruit Matriti in aula Regia, & a Philippo IV. S. Marię de Bordonaro Abbatiam impetravit. Bartholomęum Rubeum ex Minoribus de Observantia multiplici doctrina, & regulari perfectione clarum, uti ejus opera typis vulgata satis ostendunt, de quibus Mongitore in *Sicul: Bibliot:*

De Dynastis ante Martinum illud occurrit, quod *Lanceis* cum Brolo, Ficarra, & Galati fuerit *Pyragmium* quoque obnoxium, quorum postremi sæculo xiv. *Perruchius*, & *Conradus* memorantur, eidem Martino Regi infensi; hinc *Bartholomęum de Aragonia* Princeps hic *Pyragmii* dominum dixit. Verum non diu post *Lanceis* in gratiam receptis, rursus *Perruchius* opidi dominus evasit mcccci. ac post eum *Conradus*, cujus filius *Perruchius* junior sine prole decedens, *Guillelmum Raymundum* ex Valore fratre nepotem, successorem accepit mccccclxxxvi. hic vero *Blascun* secundo loco ex eodem Valore genitum, unde *Hieronimus*, mxxiii. inauguratus. Sequentis sæculi anno xxxvii. *Nicolaus Paternionius Pyragmium* tenebat. Emit hinc ex *Lanceis Vincentius Dente*, &

Averna, qui **Philippi IV.** privilegio **MDCLVI.** Dux est appellatus. Primis hic in Sicilia Regno muniis perfunctus, Italiae Regens Matrini effulsit, atque ex uxore *Angela Castella Gregorio Dente* filio auctus est, Castellatii etiam Principe, ex quo, & *Joanna Requesens Lucius Dente*, nomen ab Avo fortitus, **M. R. C. Præsides**, Dux *Pyragmii* **MDCCVII.** dictus. Annam de Neapoli primis nuptiis, secundis vero Annam Columnam sibi adjunxit, ex qua ultima Vincentium assecutus, qui hodie *Mariannæ Lucchesiæ* maritus vivit; in Regni Comitibus loco **XIX.** assidens. Est *Pyragmii* latitudo grad: **XXXVIII.** xv. longitudo grad: **XXXVIII.** xxxv. Fluentum in ejus collibus fontes habens, nomen quoque suscipit, & in laudato Scinensi littore **Tyrrheno** mari suas adjungit aquas. *Turris Specula a Ciaulis* dicta ibi quoque confurgit.





UARTALARUS Amnis a Cafali olim cognomine, atque ab agro, quem alluit; Ex veteribus chartis, & Rogerii præsertim privilegio **MCXLV.** *Cartularius* appellatus, in Valle quidem Demana, sed ignoti situs ex Massa, fluvio sub Mazarà adjungitur de *Aran-giis*, seu *Arangiotto*, ubi de *Alumine* etiam a colonis dicitur. Oritur quippe *Arangiottus* sub Noara, & aquas excipit *Argimusci* sub Tripi decurrentes. Hi porro omnes in unum coeuntes sub *Vigilatoris* vocabulo, cujus meminit Maurolycus, in Castris Regalis littore ostium aperiunt, & Tyrrheno mari conduntur. Hunc non memorat Seutter; minus de Schmettau, & Aidonus, qui forte cum Aqua de *Cubiis* confundit. Pauci nominis equidem quum sit, preteriri potuit; at *Galiciottus*, seu *Caliciottus*, ubique in Mappis adnotatus, *Vigilatori* longè ignobilior.

QUILINUS Fluvius, fontes habet in collibus ad occiduum occasum, Messanæ imminentibus, & a S. Riccio appellatis, abluitque opiduli S. Gregorii de Gypso fines, ac sub ipso Gypso opido decurrens, a quo nomen mutuatur, circa Rasculmum, in aquilonari littore fauces habet. Æstate sicco pede tranatur, nec hyeme difficilis evadit. Dicitur etiam *Aquilinus*.





ACCUDIA Opidum Comitatus titulo clarum; vernaculè *Raccuja*, & *Raccuglia*, ad Messanensem spectat paręciam; novi nominis a Fazellō, & Pirro appellatum, Sarracenorum nempe ętatis; Rogerium enim Comitē juxta illud S. Nicolai de Ficu Basilianum condidisse Cęnobium

constat; sed exiguę tunc conditionis, uti ex laudatę paręcię catalogo eruitur, cujus inter opida *Raccudiam* minime relatam videmus. Sedet in declivi, occiduo soli obversa, & vallem pene contingit, per quam fluentum ad ballistę jactum excurrit, quod in Tor-toricis amnē illabitur. Eminent Comitum palatium circa orientem; hinc ad dexteram Carmelitarum Fratrum non inelegans domus, Deiparę tutelari ordinis sacra; illinc ad austrum Monialium sub S. Benedicti regula, S. Sebastiani Mart: titulo claustrum, quod non angustum, dynastarum munificentię tribuitur. Extremam opidi oram princeps Templum occupat, splendide extructum, duplici nempe columnarum ordine, fronte decentissima, & æris campani turri ornatum. In ejusdem area spectabilis est, atque altitudine insignis arbor populea, a pluribus, uti ajunt, sæculis integra servata. Inter opidum, & fluentum Minorum Fratrum de Observantia Monasterium, Annunciatę Virgini dicatum amenissimo gaudet situ; Ad m. prope passus australem in regionem, post vallem innumeris moris, aliisque arboribus fructiferis confitam, S. Nicolai de Ficu Abbatia, de qua superius dixi.

Retulit ab anno MDLII. Comitum insignia *Raccudie* dominus, & locum XII. idcirco in Regni Con-
ventu

ventu obtinet, suosque civilium rerum administratos per annum deputat; gladii denique jus cum imperio exercet. Opidani sub Instructoris Paſtensis vexillis stipendia merebant, & Tortoricis Comarchia comprehenduntur. Erant illorum lares ſæculo XVI. ſub Carolo Cæſare 400. anno vero ejuſdem XCV. capita 1582. Sequentis medio lares 578. animæ 2341. Hoc noſtro foci 380. capita 1293. nuper 1863. Sacrorum jurisdictio penes Archiepiſcopi Vicarium, & Viſitorem; animarum cura ad Archipreſbyterum ſpectat, qui in S. Marię, ad incolarum in ſuperiori plaga degentium commodum, ſuas ſacris adminiſtrandi delegat partes. Pręter hanc VII. alię filiales ſunt Eccleſię; extra pomoerium, ſeu rurales V. Ager ad littus uſque de Scinà alibi memoratum XII. paſſ: M. circiter extenditur; uti autem ferendis ſegetibus, ac leguminibus non ad nodum aptus, ita moris, oleis, vitibusque abundè dives, ſerici, olei, & vini proventibus opidanos lætificat. Reſpondet ſitus latitudinis gradui XXXVIII. X. longitud: grad: XXXVIII. XL.

Ejus accenſentur notę ſingularis civibus Joannes Urbanus de Guidara S. Nicolai de Ficu patrii cœnobii Abbas. Franciſcus Catena in M. R. Curia Fiſci Procurator, & in utroque jure Laurea donatus, Muſis præſertim Siculis apprime addiſtus, de quo Galeanus, & Mongitore. Nicolaus Serpetrus omnigena eruditione reſertiffimus, Philoſophus eximius, & in abditis naturæ arcanis perſcrutandis ſolertiſſimus, poetica arte inſuper, & amęnioribus literis apprime inſtructus, memorię demum penè admirabilis, integra ſcriptorum volumina ſemel evoluta ita præcalens, ut ad verbum repeteret, & IV. ætatis luſtrum vix egreſſus, IV. amanuenſibus eodem tempore, diverſa

versa dictaret. Historiam Naturalem vulgavit, seu Naturæ Admirabilium Mercatum, ubi plurima, quæ in Sicilia hujusmodi habentur prodigia enodavit. Alia edidit, & complura msta reliquit. Nicolaus Lipsius politioribus eloquentiæ, ac poesiæ vel maximè studiis emicuit; Senatus Messanensis diu a Secretis, præcipuisque academiis accensus, summas ingenii opes, multis in lucem emissis ejusdem foetibus, patefecit, quos Mongitore enumerat. Ruffinus Scacciottus Minor de Observantia pietate, & eruditione insignis in *Salutationem Angelicam*, *Canticum Magnificat*, *Hymnumque Salve Regina* Lectiones composuit, & vulgavit.

Ex dynastis occurrit primus *Berlingherius*, seu *Berengarius Orioles*, S. Petri de Pace etiam Baro in Friderici II. Censu Curia obnoxius, de quo, & filiis dixi. Ex dono Martini Regis *Bartholomæus Aragonius* obtinuit circa mcccxciii. At rursus *Oriolis* in gratiam receptis, *Berengarius junior Raccudiae* dominus evasit, & in ejusdem Martini Regesto mcccviii. adnotatus venit. Hujus etiam hæredes recensui jam supra. Anno md. *Petrus Sancius Orioles Raccudiam* in dotem filia designavit, quam *Pontio de S. Pace* nuptui tradidit, *Licodiae Comiti*. Verum quum illa ante patrem e vivis decessisset, *Sancius* ad jura sua rediens, *Raccudiam Andrea Valdina* mdvii. vendidit, quem *Franciscus* filius excepit, opidique pretio recepto, in *Antonium Roccam* Ferdinandi Regis ævo jus transtulit. Ab hujus filio *Bernardo* descientes opidani mdxlix. pecunia, quam *Antonius Valdina* numeraverat, restituta, sub Re gio Demanio deinceps vivere obtinuerunt; At quum idcirco ære gravati alieno, solvendo pares non essent, *Nicolao Brancifortio*

fortio Caroli V. Cæsaris, ac Regis voluntate accedente, sese dedere, qui de suo opidanorum onera solvit, & publico ærario congruum pretium assignavit; Comes denique *Raccudiæ* MDLII. est appellatus. Fuit *Nicolaus* Blasci, Tavi Baronis filius, & Sinagram sibi quoque comparavit. Ejus, & Joannæ Lanceæ primogenitus *Oratius*, secundus *Raccudiæ* Comes dictus improles decessit; *Joseph* hinc *Nicolai* filius alter, opido potitus, cum *Beatrice* Barresia *Melchiorom* procreavit, patri præmortuum; susceptoque ex secundis cum *Agatha* Lancea nuptiis *Nicolao* *Placido*, huic *Raccudiam*, aliaque bona reliquit. Gessit hic Proregis vices, Messanæ Strategus fulsit; Leonfortem novum opidum instituit, & Mascalucia sub *Ætna*, ex municipiis *Catanæ* obtenta, primus *Leonfortis* Princeps, & *S. Lucie* Dux claruit; de quo, & successoribus in *Valle Neti* actum, ubi de *Butera*, & *Leonforte*.

RAGONA Casale olim. Vide *Aragona*.

RAHALBUTUM Opidum copiosum. Vide de eo in *Valle Neti*, cui illud adjudicavi, quod sit in collibus situm, ultra *Salsi* fluminis orientalis ripas in meridiem. Id enim flumen *Netinam* a *Valle Demana* discernere jam supra indicavi.

RAMETTA Civitas Regiis accensa, sive *Demanialibus*, atque ex iis XL. In plano montis vertice sedet, ad *Messanæ* occasum, unde pass. M. XIII. circiter disjungitur, ab aquilonari vero littore pass. M. IV. diffidet. De illius conditu silent veteres, quod tamen ante Christi Domini tempora extiterit, varia evincunt rudera, si civicis scriptoribus credimus, lateres, vasculi, lucernæ, numismata, quæ passim occurrunt, nec non substructiones, quibus arces inniuntur, ac cryptæ demum circa montis latera; Sed
priscum

priscum nomen omnino latet; multa enim Scriptoribus memorantur opida, uti Cluverius advertit, quorum est hodie situs incertus. *Pixum* jam supra inter incerta memoravi, a Micito Messanensium Principe auctum; an ubi *Rametta* consurgit, locandum? Sarracenorum etatem hæc certo certius excessit; Græcisque Imperatoribus Sicilię clavum tenentibus, non incelebrem fuisse complura suadent ex antiqua traditione, ad hæc usque tempora deducta, uti inferius reponam; a situ interim exordior.

Mons, cui *Rametta* insidet, & rupibus asper, & consitis arboribus amœnissimus, solo demum alicubi culturę apto subrigitur. Fastigium planities extendit; sed interspersa hæc levibus est tumulis, quos sacra ædificia, publicæ & privatæ moles occupant. Moenibus vallatur civitas alicubi labefactatis; binæ patent portæ, quarum una a Castello, ob arcem proximam, & a Messana dicitur, quod ab hac urbe venientes excipit; altera opposita ad occasum æstivum olim Majoris titulum referebat, novissimè *Borbonia* anno scilicet m̄cccxxxix. ab Rege Carolo, *faustiori nomine*, uti ejusdem inscriptio habet, *Omne faustissimo* nuncupatur. Supra utramque Aquila, Regium insigne, e marmore imponitur, utraque viam, opidum dividens definit. Excipit *Messana* portam Arx satis ampla, & olim munita, ac tormentis majoribus instructa, ad veteris architectonicæ leges efformata, cum ingenti cisterna; cui dudum Præfectus cum militibus ad custodiam designabatur. Juxta *Borboniam* vero Turris a *Sarracenis* appellata consurgit. Tumulum pene in centro palatium occupat, Turris Magnę titulo, magnificentiæ non vulgaris; solido e lapide muris, triplici fornicum ordine, cisterna ad imas substructiones

structiones amplissima, aulis denique laxioribus spectandum, quod Friderico II. adscribunt; sepiissime ab eo sua presentia, longoque incolatu, uti ab infirmitate levaretur, honoratum. Hauriebant e cisterna cives pene omnes, antequam putei viventium aquarum effoderentur; hos enim in tanta altitudine olim veteribus fuisse incognitos affirmant, casuque inventos cives hodie adhibent, & salutare experiuntur. Sed non idcirco a pluvialibus in cisterna affluenter asservatis abstinere.

Sacra edificia dignitate, & structure elegantia Majus Templum præcedit, in opidi frequentiori loco, ac Virginis in Coelum Assumptæ nomine clarum se offerens; fronte enim superbit, ac turri cum gre campano, dudum, anno MDCXCIII. ex terremoto diruta, nunc reparari cæpta; Ornatu autem interno, aris e marmore, statuis, tabulis, choro, organis splendida distinguitur. Ejus curam agit Archipresbyter, sub quo Sacerdotes ad Divina officia, & Sacramenta populo administranda incumbentes. Est porro illius Parochia longè, ac latè patens per vicina etiam opidula, uti suo loco reponam. Respondet Templo area, huic vero Tertii ordinis Minorum Collegium ab anno MDCCLXXII. ære publico, Antonini Lombardi opera, conditum, in quo scientiarum omnium scholæ ad juventutem instituendam aperiuntur. Decentes sunt Monachorum cedes, Ecclesia S. Annæ auspiciis dicata præ aliis concinnior splendet, nuper absoluta. Conspicuum quoque S. Francisci Conventualium post Messanæ portam in Judaica regione, Deiparæ Gratiarum olim titulo, nunc Intemeratæ Conceptionis, & vulgo S. Antonini, viget Cœnobium, quod olim extra, antiquissimum, uti ex picturis colligitur, anno MDLXXXVI.

derelictum, Paulini Zuccarati Ramettensis, in Affisii Collegio Magistri opera, MDCXXXVI. reparatur. Capuc-
cinis an: MDLXXXV. designata est S. Georgii Ecclesia,
quam illi juxta propria instituta cum proximo clau-
stro, & fratrum domiciliis concinnarunt, adeo non
ex ultimis in provincia censeatur. In ea Virginis Im-
maculati Conceptus devotissima imago cultu præci-
puo a fidelibus habita. Vetustissimum sub S. Claræ
regula Parthenonem, in agro olim, Regum munifi-
centia ædificatum, *Ramettam* circa portam Borbo-
niam traductum, in S. Mariæ de Cereis, vernacule
de Candelora, coaluisse constans traditio est, quæ Græ-
co more constructa, Abbatia Antiqua adhuc hodie
compellatur. Ex illo Massinam Moniales se recepe-
runt, & S. Mariæ de Basicò Cœnobium condiderunt,
ibique hodie vivunt. Sed in nostra Ecclesia nec Di-
vinus cultus, festis præsertim diebus, nec mos distri-
buendi populo cereos, recurrente II. Februarii luce,
intermissus est.

Antiquæ originis perhibent quoque esse Mona-
sterium Deiparæ Annunciatæ; quin ipsi Rogerio Co-
miti adscribunt; nec non sub S. Salvatoris nomine,
ac Basiliano instituto olim evulgant fundatum, quod
S. Benedicti hodie regulam profitetur, alumnasque
ex præcipuis familiis ad exactam religiosæ vitæ nor-
mam degentes complectitur. Verùm ex aliis monu-
mentis eruo: S. Salvatoris claustrum sacris Virginibus
destinatum, Fridericum II. authorem habuisse, ac S.
Basilii præceptis addictum, sub Abbatis S. Gregorii
de Gypso obedientia vixisse. Hinc Ursulam de Jacco
a Monialibus anno MDLI. in Abbatissam electam, in-
dulgente Thoma Faragonio, Gypseni Abbate, uti
Ordinario, in majori *Rametta* templo, sollempni ritu,
Ma-

Marium de Manno Trebientem Episcopum consecrasse, & in ejus manibus cum Rom: Ecclesiæ, tum laudato Abbati subjectionem sanctè illam promississe. Hodie, ait Pirrus, S. Salvatoris titulum in Deiparæ Annunciatæ commutavit. Quo autem anno, aut qua occasione, ad S. Benedicti regulam servandam fuerit traductum, an denique Diœcesanum Præsulem recognoscat, Me nescire fateor. Aliud de *Blasco* ab autore, & Abbatia S. Mariæ de Nova, ob recentem institutionem, quæ anno MDCXVII. evenit, dicitur, ubi Benedictinis etiam adamussim servandis legibus Sacræ Virgines vacant, idque a primo haud procul subrigitur. Utrumque ob ædificia spectandum. Extra pass: M. circiter ad occiduas hibernas plagas S. Sebastiani Mar: decens Presbyterorū domus juxta S. Philippi Nerii placita, a Benedicto Mundo elapsi sæculi anno LXXIX. congruis designatis redditibus ædificata; In ortum S. Leonis Episcopi Catanensis, singularis civium Patroni Sacerdotum unà viventium Collegium quoque fulget, cujus Primas variis privilegiis, & insignibus cohonestatur, dum Ecclesiastica munia in æde obit sibi addicta. Ibi ejusdem Divi crypta cum latice, ex quo haurientes sanitatis beneficia participant. Festum cum nundinis Majo ineunte celebratur. Sunt filiales novem supra decem Ecclesiæ, earumque complures Laicorum sodalitiis destinatæ; Fulgent præ cœteris S. Mariæ de Odigitria, in qua ad pia officia quotidie celebranda ingenui cives conveniunt; S. Mariæ de Porta, quæ olim, uti tradunt, præcipua in opido; SS. Trinitatis, Theutonicorum Militum dudum Commenda, hodie Sacerdoti concredita. Jam civiles privatæ domus nobilium vel maximè, non incomptè videntur; Viq; longè ac latè per-

currunt, atque ab regionibus, quibus civitas conflatur, nomen desumunt.

Regii juris *Ramettam* fuisse, postquam Messana expugnata, Rogerii virtute, Sarracenorum manus evasit, publica Regesta perhibent, ac Census præsertim Martini Regis ætate Syracusis habitus. Sub Alphonso nihilominus anno mccccxlii. in *Raphaelis Fieschi* Januensis manus devenit, qui Regii ærarii angustias levavit. Verum non diu ad *Demanium* rediit. Philippo IV. auri penuria laborante, Roccæ Marchio non levi summa exsoluta, sibi vindicare contendit, jamque ad ineundam possessionem opido cum suis appropinquabat; verum cives ad arma conversi, ut ad sua rediret, vi illum compulerunt, & corrogata inter sese pecunia, ac Marchioni delata, ne deinceps possit *Rametta* dynastis adjungi, speciali privilegio impetrarunt. Ejus hinc Curatores numero iv. Syndicum, & Justitiæ Questorem, quique ab ejus latere absque Gladii imperio assident, Judices, Regium Consilium designat; *Secretum*, uti appellant, Publici ærarii Præsides deligunt. Messanensis Præsul a primæva Parochiæ institutione, alia inter loca nostrum accensum habuit, uti ex diplomatibus Rom: Pon: alibi laudatis evidenter eruitur, propriumque Sacerdotem, Archipresbyteri nomenclatura illi ordinare consuevit. Hic in vicinis etiam opidulis jura dat, Rocca, Valdina, S. Martino, Venetico, Calvaruso, Saponara, Bavuso, Rantuccio, Rapano, & Vincio; licet tribus postremis seclusis, reliqua dynastiarum fasces recognoscant. Insignior idcirco præ ceteris *Ramettensis* Archipresbyter audit, eique animarum in locis hisce sollicitudo incumbit. In Caroli Cæsaris descriptione venit *Rametta* cum casalibus, ac Iarium 189. numero composita definitur. Anno mdxv. censi sunt

sunt lares 628. incolæ 2102. Mediõ elapso sæculo focos 624. animas 2366. In prima hujus sæculi recensione lares 500. cives 1697. in ultima 1949. computavit. Gaudent hi iisdem immunitatibus, & gratiis, quibus Messanenses fruuntur, ex Regum liberalitate, Friderici nempe II. uti ejus constat diplomate de anno mcccxxxiii. Ferdinandi Catholici mccccxxxviii. & Caroli demum Cæsaris mdxix. Ab antiquis enim temporibus uterque populus foederibus conjunctus vixit; atque in illa pro Arcadio Imperatore suscepta expeditione, uti ferunt, & in aliis, contulisse nostros Messanensibus suppetias affirmant. Hinc Turres pro tessera habuisse, quæ olim Messanæ fuerant insignia.

Comarchiam *Rametta* sola constituit, Pactensi Instructori indigena ejus militia subditur. Sepissime exercitus Regii falanges ad hostium impetus propulsandos eò se receperunt, aut pro stativis perstiterunt; quod evenisse, elapsis proximè temporibus anno mdcxxxv. Gallorum bello ingruente, & mcccxxxv. quum ad insulam vindicandam, Hispanis, Marchione de Lede Duce, nostri cum primis sese adjunxerunt. Agro utitur vini, olei, frugum, ac leguminum feracissimo, celebraturque ob Serici præstantiam, quod in eo provenit; in tota enim regione primas habet. Ad angulum circa montis latera thermæ aquæ promanant, morbis in cute saluberrimæ. Claudit idem circa radices casalia Rapani, Vincis, & Rantuccis, de quibus infra. Ferunt Marium Giurbam celeberrimum Juris-Consultum, & vulgatis operibus literario orbi notissimum, *Ramettæ* ortum habuisse, ac ex ephēbis vix egressum Messanam studiorum causa a parentibus deportatum, ibi ingenii cultum fecisse, meritoque inde jure Messanensem appellatum. Memorantur

tur Michael Angelus Sacerdos Capuccinus Apostolica authoritate, in Cogni Indiarum provincia ad Christi Domini Evangelium dissemandum destinatus. Archangelus Utri Sacerdos etiam Capuccinus vitæ austeritate, ac morum simul columbina innocentia clarus. De his Ordinis Annales. Laudat Mongitorius in Bibliotheca Fridericum Orioles genere nobilem, & a Legali scientia maxime commendatum, qui diu Panormi vixit, ac inter primos caussarum patronos effulsit. Multa edidit ex eadem Bibliotheca, & multa alia reliquit. Vivit hodie Panormi Antonius Ardizone inter Juris-Consultos eximius, Messanæ primariis perfunctus muniis, & M. R. Curiaë Judex. Non hæc sua laude fraudaverim Seraphinum Visalli Minorem Capuccinum; qui optimè de patria meritis, accuratam de illa Historiam ad Me transmisit, unde prolata huc usque eruisse ingenuè fateor; Publici Juris fecit suppresso nomine librum, cujus titulus: *Idololatria Protrita*. Gradus longitudinis *Rametta* xxxix. xv. latitudinis xxxviii. xv. statuitur.

RANDATIUM Civitas Regalis, Ducis titulo Regios Infantes condecorare ab Friderici II. ævo solita, sub Ætna monte ad aquilonem sita, atque ab ejus vertice pass. circiter xv. m. disjuncta, una ex præcipuis iusulæ mediterraneis olim, populi multitudine, civium nobilitate, loci munitione, agrique demum divitiis celeberrima audit. Objicitur sane eidem plagæ aquilonari, sed reliquas quoque respicit; leviter prono extenditur solo, ac supra Onobalam amnem in septentrionem decurrentem exesis incubat rupibus. His circa æstivum occiduum solem **Arx** imponitur, undique hodie fatiscens, nec nisi teterrimum carcerem integram habens, noxiis &
 primo

primo capite damnatis continendis in tota provin-
cia destinatum. Mœnia totum ambiunt pomœrium,
majori ex parte nunc labefactata. Præcipua & am-
plior via, sed obliqua opidum pene medium scindens,
hinc ab occasu S. Martini porta, illinc ab ortu S.
Marię terminatur; foris venalibus distinguitur, &
amplum palatium, Caroli V. Cęsarıs hospitio hono-
ratũ complectitur, in quo civiles etiam per Magistra-
tum habentur conventus. Per urbem reliquam angu-
sti vicus veterum more obliqui, sed non incomptę
in iis, nec exiguę molis nobilium ędes, quamvis &
ipsę ruinosę, majorique ex parte desertę spectantur.

Inter sacra ædificia Parochiæ tres eminent, quę
de primatu contendunt. S. Maria cęteris magnificen-
tior cum æris campani turri, nigro quadrato lapide
tota compingitur. Sub Curionis regimine, frequen-
que Sacerdotibus XII. Divina officia celebrantibus, cir-
ca æstivum ortum consurgit, passimque uti mater ve-
nit; quo nomine nuperrimè Canonico fuit Collegio
instructa. Altera non impari cultu splendida, S. Ni-
colai, suo cum Parocho, pene in centro se offert, ac
duodenario Presbyterorum cœtu, qui sacra munia
obeunt, instruitur. Totidem in S. Martino, parochia-
lia demum jura habente, Deo famulantur, quibus ani-
marum præest Rector, & circa occiduas plagas soli-
dè, eleganterque constructa sedet. Unaquæque ex his-
ce opidi conterminas regiones denominat, & portas;
suasque minores suffraganeas Ecclesias recognoscit,
quæ III. supra xxx. enumerantur; ut inde de *Randa-
tii* amplitudine judicium ferre quis possit.

Ex Monasteriis primum S. Francisci Conven-
tualium memoratur, de cujus origine opinionibus va-
riant Ordinis Scriptores; adscribunt enim Uvadingus

&

& Toffinianus Elisabethæ Reginae Petri II. uxori circa MCCCXLIII. Cagliola autem in Siculae Provinciæ historia S. Antonio in vivis agente, ac in Sicilia commorante, fundatum adstruit, ineluctabili potissimum ratione, quod fuerit *Randatiensis* Conventus Beato Gerardo de Valentia tyrocini, & probationis arena, longe ante annum MCCCXLIII. qui emortualis ejusdem dicitur. Quo sane ductus ille argumento in seculi XIII. annum XXVI rejicit, in trabe Ecclesiæ adnotatum; Æs aliunde campanum annum MCCCCLIII. exhibebat, quod sua ætate fractum Cagliola refert. Subdit porro: *Pulcherrimus hic Conventus est, quadrato lapide ornatus; Pro adolescentibus musicis imbuendis disciplinis præscriptus, Tertium in Custodia Messanensi locum obtinet. Ecclesiæ titulus prior sub S. Mariæ Magdalena, nunc S. Francisci. Hæc vasta, & perantiqua, fere rimosa, nulla condita structura.* Eadem complures nobilium familiarium exhibet sarcophagos, occupatque circa austrum non infrequenter regionem. Prædicatorum Fratrum excisis ad aquilonem rupibus, vulgo *Balzo* imponitur, totiusque subjecti agri, & fluminis jucundissimo aspectu gaudet; Vetas creditur, & S. Patriarchæ nomine gloriatur.

Extra S. Mariæ de Jesu Cœnobium incolunt Minores Observantes in levi tumulo ad meridiem, quod XVI. seculo constitutum, ascetas pietate insignes protulit, & decentibus utitur ædificiis. Ædes sacra nobilium etiam tumulis ornatur. In eandem oram, hibernumque solis ortum, S. Francisci de Paula alumni anno MDCXXIII. designatum locum habuere, uti Collegium omnium scientiarum juventuti instruendæ aperirent; hinc & Collegii nomen claustro appictum, quod fabricis concinatum resplendet. Ferunt Societatis

tatis Jesu sodalibus initio fuisse domum addictam, quibus abeuntibus Paulani successerunt. Antiquissimum ab anno scilicet mcccxxx. ex Lezana, Carmelitarum Monasterium ad ortum, post S. Marię portam In colle, spectatu non indignum, cum Ecclesia sub Annunciatę Virginis titulo, occurrit; & in hac etiam nec elegantia desideratur. Minorum denique, quos Capuccinos appellant, ad hibernum occasum Conventus elatiori situ conspicuus, ab anno mdcx. conditus videtur, ad quem ascensus patet adeo opportunus, ut in deliciis sit civibus, eò evadere, gratamque totius civitatis, & agri circumpositi faciem intueri. Sanctimoniales denique sub S. Benedicti institutis, triplex excipit locus; Ad angulum namque Africo oppositum S. Bartholomęi asceterium juxta mœnia insigne attollitur; Ad aquilonem extremis etiam oris S. Catharinę Virg: & Mar: elegans sedet; Ad Eurum S. Georgii Mart: mœnibus quoque inhærens conspicitur. Singula ex primaria nobilitate coalescunt, & ab exacta alumnarum religiosę conversationis custodia commendantur, ac bonis affluunt. Sacras cœterò omnes *Randatii* ædes pingui dote, largisque proventibus, profusa fidelium munificentia cumulavit; splendidus idcirco cultus in illis viget, ac Divina sollempni pompa celebrantur. Non omittam Montis Pietatis Ecclesiam, quam adeunt frequentissime cives, quęque in ortum hibernum pomerio respondet.

Effloruit olim *Randatum* ab incolarum frequentia, ejus hinc titulus in Regiis libris est Civitatis *Plena*, aluitque ex ingenuis insulę familiis præcipuas, feudis, ac dynastiis celebres, affluentisque divitiis, quarum adhuc nonnullę ad hæc tempora perdurant. Ex his Curatores iv. quotannis deliguntur, qui-

bus in publicis Regni Comitibus loco xxv. suffragii ferendi jus competit, communisque annonæ, & vestigialium cura incumbit, quique cum Syndico, Malefactorum Quæsitore, jus gladii habente, ac Judicibus Magistratum constituunt. *Secretus*, quæ ad Regem spectant, administrat. Armorum Dux sociis stipatus contra grassatores invigilat, & Demanenſis provinciæ securitatem promovet. Indigenæ Militiæ vexillum servant equites xxxi. peditesque xci. sub Tauromenitano Inſtructore merentes. Comarchiæ Caput *Randatum* audit, Leonemque coronatum pro tessera effert. In Caroli V. censu lares numerabat 1451. & circa sæculi exitum cives 5978. Anno mdcxii. lares 1476. animas 5575. Jam longe minor hac nostra ætate descriptio evasit; anno enim mdccxiii. focos 1020. cives 3558. & novissimè 4169. exhibuit. Messanenſis Archiepiscopi Vices gerens, & Visitator Ecclesiæ juribus invigilat. Parochi, uti innui, tres curandis animabus intendunt. Ager, si quis alius, felix, uber, amœnus, totoque anni tempore vernus, fructus, & præcipue nuces, castaneas, avellanas affluenter gignit; vites, moros, oleas fert, segetes, legumina, pasqua, olera suppeditat, ut mirari non desinam, quo fato colonis sit indigus, quamquam ratione adeo locuples civitas mortalibus destituatur. Expilatam, direptamque ab Hispano milite equidem scio, quum hic ob denegata stipendia contra Carolum Cæsarem mxxxix. rebellavit. At enim defectoribus abeuntibus, cives postliminio revocatos patriam instaurasse etiam novi. Est ejus latitudo grad: xxxvii. l. longitudo xxxviii. xl.

Primus *Randatii* Dux *Guillelmus* a Friderico II. patre renunciatus mcccxx circiter. Hunc octennio post

post mortuum excepit *Joannes* Infans, cujus filius *Fri-*
dericus e vivis paullo post patrem excessit puerilem
 ætatem nondum egressus. Paucis ab hinc annis *Ca-*
roli, nostri dudum Regis, primogenitus *Randatii* Dux
 est appellatus. Viri illitres: *Guillelmus* Vigintimilli-
 us ex Minoribus Observantibus, vir sanctimonie si-
 ngularis, de quo *Annales* ejusdem Ordinis, & noster
 Aprilis. *Stephanus* Sacerdos Capuccinus abstinentia
 admirabilis, & prophetiæ dono illustris, de quo lau-
 datus Aprilis. *Humilis* ejusdem instituti Laicus, ri-
 gidus sibi, aliis affabilis, paupertatisque amator præ-
 cipuus. *Aurelius* laicus etiam, cujus virtutes non le-
 vis admirationis fuere. Mortis suæ conscius piissime
 in patria obdormiit. *Joseph* item Sacerdos Capucci-
 nus Regulæ suæ custos integerrimus, & vitæ pauper-
 rimæ sectator; miris a Deo prodigiis illustratus. *Vin-*
centius *Damianus* Societatis Jesu, ad Philippinas in-
 sulas missus, re Christiana strenue procurata; *Ibabao*
 & *Pelapagensi* ex illis optimo cum fructu institutis,
 a barbaris Subigensibus, & *Becarentibus* tandem in
 odium Fidei pilo militari transverberatus, ac *Mar-*
tyr xxxiii. ætatis anno effectus. *Benedictus* *Rogasius*
 ejusdem Societatis, quem *Aguilera* prisca candoris
 exemplum deprædicat, & ad extremos canos; nam
 xcviij. ætatis anno vitam posuit, non jejunium, non
 flagrorum usum, non ad mensam ministrandi, non
 de genu supplicandi consuetudinem amisisse; lecto-
 que ad triennium affixum summa patientia mortem
 adspexisse scribit. *Antonius* *Tetti* Minor Reformatus,
 vir piissimus, & provinciæ non semel Custos, *Vita*
Fratrū, ac *Sororū* Ordinis S. *Francisci*, qui
 sanctimonie notis sæculo xvi. & xvii. effulserunt,
 accuratè descripsit, de quo *Vadingus*, *Arturus*, *Mon-*

gitorius, & Tognoletus. **Jacobus Roseus** ex Minoritis Conventualibus. Ejus extat elogium sepulchrale Patavii, ubi vita functus est. *Jacobo Roseo Theologo Minorita, Patria Randazo, Natione Siculo, animi candore, Christianæ Religionis studio, morum integritate, doctrina, prudentia, & charitate insigni, variis laboribus, erumnis, & morbis in Concilio Tridentino confectus, hęc tandem, quod semper optaverat, dormi- vit in Domino. Cornelius Mussus Placentinus, Episcopus Bizuntinus, illi uni proxime, & secundum Deum virtutes, honores, fortunas, omnia denique accepta referens, tamquam Patri de se benemerito, perpetuum sanctissimæ educationis monumentum posuit. Vixit annos 75. menses 2. Obiit Anno Domini 1548 16. Cal. Junii.* Integram hanc apposui epigraphen, quòd alibi ex Pirro Jacobum Politiensem vulgavi.

Joannes de Puiades S. Mariæ de Noara Abbas. Floruit MDVI. Petrus Oliverius Juris-Consultus celeberrimus, & inter Caussarum patronos clarissimus, emensis in foro gradibus omnibus, Regii Ærarii primū Præses, tandemque supremus Matriti Italię Regens. Joannes Dominicus de Cavallaris perpetuā Messanensibus a Ferrarotto, & Ansalonio, Panormitanisque ab Strada accensus; *Randatii* enim ortus verius ab aliis dicitur. Juris prudentiæ, & politioribus literis addictissimus, moribusque integerrimis præditus, honoribus omnibus in Curia affectus, Ærarii publici tandem Præses, suis haudquaquam bonorum copiam, sed paupertatis incommoda raro exemplo reliquit. Franciscus Laguzza Sacerdos vitæ inculpatæ actibus conspicuus, ac eximio in procuranda aliorum salute zelo præditus, Messanensis Oratorii S. Philippi Nerei alumnus claruit, Romam subinde evocatus, ubi diu prin-

principibus viris acceptus vixit. Plura ad fovendam pietatem vulgavit, quæ Mongitorius apprime commendat. Erasmus Marotta Musicis peritissimus, quo nomine Romæ, & alibi inclaruit; ad Societatem Jesu provec̃ta ætate transiens, religiosæ vitæ studia impensè coluit, ac plura artis suæ monumenta reliquit. Josephus Martius ejusdem Societatis Sacerdos, graviores scientias Parmæ, Bononiæ, ac Ferrariæ professus, ac disertissimus per Italiam Orator; Edidit a se habitos Sermones de Sanctis. Hieronymus Camerata egregius Philosophus, Medicus, & Rhetor publici juris ingenii complura monumenta fecit, in Sicularum Bibliotheca laudata. Nuntius Perciaboscus æmioribus literis dicatus, & exarandis Comicis operibus intentus, quorum nonnulla prodire, alia msta amicorum manibus teruntur. Vixit Matthei Fatii Patensis Episcopi, ac subinde Josephi Migliacii Messanæ Archiepiscopi familiaris.

Fazellus novi nominis opidum appellat *Randatum*, & si ingens, nobile, locuples, & muro cinctum deprædicet, nec immerito. Plerisque vero Trinacium fuisse, sed perperam, affirmat, quum Trinacium in Sicilia extitisse nunquam, uti ait, ex Græcis, Latinisque authoribus constet. *Et si apud Plinium corrupte Trinacium pro Trinacia legatur. Qui Trinacium itaque Randatum excepisse tradunt, cum Plinio calamo summum cespitassent; at non idcirco falsitatis nota inurendi. Et Trinaciam sane Franciscus Honoratus Columna in sua de Randatio Idea eo loci collocat; alibi vero illam Ego statui, a Syraculis haud procul, atque ab ejusdem urbis copiis funditus deletam, quod Sicularum Civitatum caput esset, & de primatu per insulam contenderet. Favere*
Co-

Columnæ opinioni videntur Maurolycus: *Randatum*, inquit, *opidum ad latus Ætnæ montis notissimum, placet nonnullis esse id, quod Triracium sit dictum.* Philotheus in Topographia Ætnæ, qui scribit: *A Septentrione Tiracium, Randatum hodie, habet nobile opidum, & Cæsaris beneficio Civitatem.* Aretius denique de Situ Siciliæ: *Randatum urbs... olim Tiracium, quam vocari credimus Plinio, quoniam de Tiraciensibus facta est mentio.* Sed ex his eruo quidem Triracio olim successisse *Randatum*; Trinaciam vero nullimode deprehendo. Duas itaque situ diversas urbes fuisse conjecto, & Plinii textum advoco. Scriptor enim hic Triracienses, seu Triracinos populos, insule mediterraneos inducit, at de Trinacinis neququam intelligere potuit; Trinacia quippe longe ante illius ætatem defecerat; nec gentilitios urbis non extantis populos memorasset.

Coeterò, quod de Tissa a Ptolemæo in Ætnæ radicibus sita, Niger, & Cluverius cogitaverint, nec citra rationem, non inficio, uti inferius dicam, de Tissa loquens; sed illis assentiri, qui Triocalam hic perperam locant, prohibent omnino alibi allata in Valle Mazaræ de Triocala. Veterum sane monumentorum vestigia, tumuli, lucernæ, vasa, numismata, locus ipse munitus admonent de antiquo aliquo opido, quod an Triracium, an Tissa fuerit, divinare non possumus, pro utroque enim conjecturæ afferuntur.

RANTUCCIUM Ramettæ casale est cum Ecclesia, ubi Sacramenta administrantur, Deiparæ de Sabato dicata, speciali ab incolis pietate ob accepta beneficia cultæ. Habent hi specialem Patronum S. Andream Apostolum, cujus in eadem sacra æde ara est nobilis, festusque dies cum pompa celebratur.

RA:

RAPANUM Casale Ramettæ, laribus circiter centum conflatum cum æde parochiali S. Dominicæ Virg: & Mart: titulo insigni. Eadem Diva singularis est incolarum Patrona, cujus cum vicinorum frequentia sollemne festum quotannis recurrit. Sub Fridrico II. *Joannes de Manna Rapano* potiebatur. In Martini Regis Censu de anno mcccviii. *Nicolaum Castagnam* pro Casali *Rapani* Curia obnoxium lego, qui Roccæ, & aliorum casalium simul erat dominus. Ejus successores ad elapsum usque sæculum tenuerunt, initaque cum Ramettensibus conventionem, acceptisque scutatis xv. m. eo sese abdicarunt.

RAPISARDIS Vicus est opidi Trimisteris sub Ætna ad austrum cum Deiparæ Ecclesia.

RASCULMUM, vulgo *Rasculmura* promontorium; Nam Sarracenis *Ras* Caput denotat; in aquilonari Siciliæ latere post Pelorum occurrit, contra Calabriae litus. Dicebatur veteribus *Phalacrium*, quod Ptolemæus inter Pelorum, & Mylas recenset; pass. m. x. a primo diffitum. De eo Cluverius. Prominet illi Turris Specula ejusdem nominis.

RASGELBE Promontorium, *Rasgelbum* vernaculè, & *Rasgelbo* inter Cephalædium, & Finale, cum Turri Specula.

REGITANA Vicus ad Acim spectans, vulgo *Regitana*, in hibernum occasum ab ea civitate pass. m. circiter iii. disjunctus, & ad S. Philippi spectans Parochiam m. pass. diffitam. Ibi Acis fluminis copiosi fontes, uti alibi firmavi, quorum affluentes latices inde corrivati frumenti molas complures agitant, subjectas irrigant terras, ad cannabi, lini, & oleum uberrimas messes, unde colonis pingues obtinent proventus. Juris est Principis Campifloridi.

REGITANUM Mistrettæ dudum Casale, & in ejusdem agri convalle sedens, III. pass. M. discretum; *Reytanum* Siculis; Columnis hodie dynastis Ducatus tessera obnoxium opidulum. Parochialis Ecclesia medio pene situ S. Erasmo Epif. & Mart: , opidanorum Patrono sacra, Rectori subditur, cui Sacerdotes tres coadjutores adstant, & minoribus XII. jura dat. Pirro teste laribus 400. incolis 1212. constabat, sed in Regiis libris anno MDCLII. ejus dicitur census larium 267. animarum 905. sæculo enim præcedenti, uti Mistrettæ Casale, in hujus descriptione venit. Nostri anno XIII. focos 174. animas 521. non levi jactura recensuit, & novissimè 826. Est Mistrettensis Comarchiæ, & S. Philadelphi Instructorem recognoscit; Diocesi Cephalædensi comprehenditur, eodemque pene cum Mistretta etiam, latitudinis, & longitudinis gaudet gradu. *Regitano* Friderici II. ævo potiebantur *Antiochenses* Proceres cum Mistretta, & Capitio. Anno MCCCXVIII. *Sancius Ruis de Liori* Gallani Comes cum Mistretta tenebat. Primus a Mistretta discretum obtinuit unciis auri 8600. Regiæ Curiæ exsolutis, anno MDCXXXVIII. *Franciscus Romanus Columna*, a Philippo IV. sequenti anno Dux renunciatus. Fuit Regni Quæstor, atque ex Margarita Colle uxore *Antonium* filium accepit, ex quo, & Flavia *Alliata Ferdinandus* prodiit, improles e vivis sublatus. Illum *Marius Columna* excepit frater, Catharinæ Liliæ, & Filingeri maritus, cujus jure Turrectæ Princeps evasit. Ex his *Antonius* florenti ætate mundanis ereptus apud Regitanum, MDCC. unde *Marius*, quem illi peperit Anna Maria Gravina. Sedet hic in Comitibus loco XIII. Præfluit ad ejus fines *Mistretta* amnis; circa cujus ripas veteres ruinæ *Amastratensis*, uti suspicor, municipii, ad antiquum opidum spectantis, extant.

REPOSITORIUM Siculo ore *Riposto*; Est Mi-
 scularum vicus, ad maris ortivi littus cognomine
 cum amplissimis vinariis cellis, ac promptuariis. Eo
 enim ex agro proximo, collibusque impendentibus,
 vinetis ubique confitis, ac frutetis, vinum, fructus, le-
 gumina, necnon hordeum abunde in planitie prove-
 niens deportatur, ad quæstum ingenti lucro cum Me-
 litensibus, Messaniis, ac aliarum nationum onerariis na-
 vibus faciendum. Ecclesia ibi S. Marię de Epistola, quæ
 colonorum est Patrona, alteri parochiali subest sub
 Ascensionis Dominicę titulo. Turris Aquæ Gravis
 est specula; sed & arx etiam ballistis igneis instructa
 contra piratas consurgit ad stationem.

RHODIS vulgo *Rudi*, Castri Regalis Casale n.
 pass. m. ab eo in æstivum occasum situ declivi di ssi-
 dens. Nomen illi adscitum dicunt ab Rhodiensibus
 Colonis, qui ad agrum de *Milici* curandum missi
 fuere, dum Rhodi S. Joannis Jerosolymitani Equites
 degebant, ad quos ager ille spectabat, uti & hodie
 pertinet. Parochia S. Bartholomęi Apostoli titulo suum
 habet Rectorem, Castriregalensis Archipresbyteri vi-
 ces gerentem. Ejus fines ad Furnaris usque opidulum
 protenduntur; clauduntque veteris Quartalarii rudera,
 cum S. Marię Ecclesia, unde fluvius cognominatur,
 de quo supra. In suburbano Francisci de Presti tes-
 sellati pavimenti cernuntur vestigia; Artenomassii an-
 tiqui opidi, uti evulgant, fortasse reliquię. Ædes
 quoque magnificę ibi spectantur, memoratu dignę,
 ingenuę familię de Raymundo. Olim casale in plano
 solo stabat, quod Rossolini amnis alluvione sepissime
 infestum, elatiori loco translatum; In alveo hinc ve-
 teres perstant ruina.

RINGUS. Messana excedenti in Septentriones.
 T. III. P. II. E e Por-

Portus Salvus, seu minorum navium statio occurrit; hinc area succedit, quam lata ad portus marginem via excipit, longe protensa, elegantibus ædificiis conspicua, *Ringus* appellata. Inter illa S. Francisci de Paula primùm amplissimus se offert Conventus cum Ecclesia; subinde Ucriæ Principis suburbanum, vulgo *Casa Pistæ*; ubi Proreges, quandoque hospitio excipiuntur, usquedum ingressus pompa paratur; cum S. Josephi Ecclesia, & amenissimo Vallensis Comitis vitidario. Non inde procul celebre Salvatoris Basilianum Protomonasterium confurgit, Caroli V. ævo constructum, ab extrema portus lingua translatum, ubi Archimandritæ est sedes. Parochia sive Ecclesia, unde sacra incolæ participant, sub Sacerdote, Jesus, & Mariæ titulum refert. S. Nicolai Eremitarum domus Salvatoris Cœnobio imminet, & præ cæteris solitariis locis, hodie situs amenitate, cellarum, & conclavium ordine distinguitur. Coetera alia suburbana ædificia locum instruunt, & portus oram jucundissimam reddunt.

S. RIZZI Collis ad Peloriadem spectat, de quo dixi. Turris ibi assurgit, perque illius ardua iter hodie accommodum, rhedisque frequens sternitur. Vide *Fauces Mylenses*.

ROCCA Opidum in tumulo sub Rametta ad occidentem situm, maris aspectu, & aeris clementia insignis, publicis, & privatis ædificiis non ignobile. Arce, ac Dynastæ præsertim amplissimo palatio, cum largo foro, cujus centrum fons elegantissimus occupat, corrivatis e longinquo laticibus conspicuus. Sacra princeps ædes sub S. Nicolai Miræ Episcopi auspiciis splendida, ornatu, & fabricis insignis aliis minoribus x. præest, & ab Sacerdote Ramettensis Archi-

chipresbyteri vices gerente administratur, qui Archipresbyteri nomine etiam utitur. Minores Tertii Ordinis anno MDCXXIII. ex Bordonis Petrus Valdina Marchio ibi statuit, locumque attribuit, olim ab altera Conventualium Reformatorum colonia occupatum, quibus Pauli V. Rom. Pont. decreto per Italiam, & Siciliam antiquatis, Capuccini subrogantur; hisque in opportuniorem situm translatis, S. Domini Fratres successerunt; sed iis etiam abeuntibus, nostri suffecti, Ecclesie titulum Annunciatae juxta Bordonum, ac S. Annæ, Matris Deiparæ indidere, & congruis conclavibus Coenobium, variisque opere plastico, & auro ornamentis sacram ædem concinatum voluerunt. Jam Capuccini Fratres MDCXXVII. in Ordinis Annalibus *Rocce* constituti dicuntur; Verum annus hic minime cum supra adnotatis congruit. Putaverim idcirco Tertii Ordinis alumnos anno potius sæculi XXXIII. coaluisse. Illorum porro Ecclesia S. Joanni sacra habetur, & ad N. passus amenissimo situ extra opidum subrigitur. Ad pass. M. S. Philippi Nerei Oratorium assurgit cum æde Deiparæ de Gratia dicata, ubi pii Sacerdotes perfectioris vitæ studiis inhaerentes, vivunt. Civium sunt ædes decentissime; viæ describuntur planæ, commendaturque Pharmacopolæ officina incoctilibus vasis elegantissime, Raphaelis Urbinatis, uti dicunt, aut aliis excellentis authoris manu effigiatis instructa.

Rocce census cum Mauro-Janne Caroli Cæsaris evo fuit larium 451. & anno MDCXCV. incolarum 1904. At sequenti sæculo discriminatim descripta lares 265. animas 819. exhibuit. In hujus nostri prima recensione sola etiam, focos 529. animas 1917. numeravit, & nuperrime 2173. Messanensis Diocesis est pars;

Pactensem indigenę militiæ Præfectum cognoscit, & Mylarum Comarchia comprehenditur. Marchionatus titulo ab anno mdcxxiii. gaudet; ejus idcirco Dynasta in Regni publico Conventu loco xx. sedet. Primus autem Marchio cum jure gladii *Petrus Valdina & Viginmillius* recensetur. Hujus decessores in Dynastia, successoresque habes, ubi de Valdina, seu Mauro-Janne. Florere patria Rocchenses Franciscus, qui Conventualis Reformatus primùm, inde ad illos strictioris Observantiæ se conferens, inter eos vitæ innocentia, morum simplicitate, ac ferventissimo animarum zelo enituit, tandemque non vulgaris sanctimoniam opinione Messanę in Portus Salvi Cœnobio animam Deo reddidit mdcxxxix. Joannes Baptista Valdina Caroli Marchionis filius nothus, Literarum studiis addictus, ac Jurisprudentiæ laurea donatus, inter Messanensis *Officina* Academicos floruit; quumque hereditario jure titulos, aliaque familię bona retulisset, Messanę paullo post vita functus, illis uti vix potuit. Ejus opera typis commissa Mongitorius expendit. Paulus Juncta Societatis Jesu insignis Ecclesiastes ab eloquentia, & eruditione celebris, laudatur ab eodem Mongitore. Josephus Scibilia Arithmeticę artis peritissimus, quam publicę ad aliquot annos Messanę professus est. Obiit in patria octogenario major. Ejus meminit Sicul. Bibliot. *Rocca* latitudo eadem cum Rametta longitudo grad: xxxix. x. Ager licet angustus moris, & oleis confitus felix est.

ROCCA ALUMERA opidulum, xv. pass. m. post Messanam austrum versus in convalle sedens, e freti litore pass. m. iii. distitum, nomen habet ab Aluminis mineris proximis, & a nobile gente *Rocca*, quę diu clientari jure subjectum illud habuit. Spectantur hinc

ab eo haud procul ædificiorum vestigia, & aquæductus rudera, officinis olim ad Alumen educendum destinata.

Primus *Rocce Alumeræ* Marchio Philippi IV. privilegio anno MDCXXVII. *Petrus Rocca & Lancea*, qui & Alcontres in Brutiis etiam Princeps enituit. Ejus fuit pater Joannes S. Michaelis Baro, Isabella Lancea mater; Duxit vero in uxorem Vincentiam Marchese, ex qua tulit filium *Joannem*. Hic cum Catharina Gantes & Platamone genuit *Petrum*, MDCXXXIX. Marchionem, ex quo & Hieronyma de Joanne *Catharina*, unica hæres, *Michaeli Ardoino* Florestæ Marchioni in conjugem assignata. Fulsit porro *Michael* inter Hispanos Magnates, Regi a cubiculo, & Palatii in Calabria etiam Princeps. His natus est *Petrus*, qui patris dynastias assecutus, & munia, ex Elisabetha de Joanne prima uxore auctus est filia *Flavia*, Vincentio de Moncada sacris vinculis adjuncta, Calvarusi Principis primogenito. Est in Comitibus publicis *Rocce Alumeræ* Marchioni locus XXVII. Mero, & mixto imperio gaudet, & Magistratus designat. Opidi primus census anno MDCII. elucet, quo lares 130. animæ 511. sunt numerati. Nostri sæculi annum XII. foci 200. incolæ 789. computantur. Ejus est denique latitudinis gradus XXXVII. LV. longitudinis XXXIX. X. Jam Major basilica B. Marię Virgini. sub titulo de Rosario addicitur, cui Sacerdos a Messanensi Archiepiscopo designatus præest. Ad oram maritimam altera Parochia S. Josepho sacra sub Fratrum Paulentium cura, qui cœnobio utuntur diebus nostris condito. Munimentum ad barbarorum ausus repellendos sub austrum consurgit, reliquæ sunt piscatorum casę.

ROCCA AMATORIS Cisterciensis Ordinis celebre.

lebre Coenobium in S. Dominicæ, seu Trimisteris Messanensi municipio pass. iv. m. ad austrum ab urbe discedens. Conditor, largusque donator, Bartholomæus de Luce fuit, Paternionis Comes, ac totius Calabriae Magister Justitiarius, cum uxore Desiderata mxcv. primusque Abbas Bernardus. Ex Commendatariis vero Joannes Cardinalis Albanus mcccclxxxviii. Vetus templum, quod ruinam minabatur, Augustinus Gemelli Cisterciensis in Sicilia Vicarius Generalis, & Abbas instauravit mcccxi. Hodie Josepho Thomasio, qui inter Ecclesiasticos Proceres votum xxii. in publico Regni consilio profert, Monasterium committitur. Monachi num: xvi. Divinis celebrandis officiis sub Priore Claustrali incumbunt, Occurrit in Dromo, seu via publica exterior porta, unde templi frons c. pass. dissidet, & ipsa conspicua.

ROCCA ASINI. Vide Isnellum opidulum sub Nebrode monte ad insulæ plagam aquilonarem.

ROCCA FLORIDA Novi nominis opidulum post Liminam, elapso scilicet sæculo ædificatum, ac Principatus titulo auctum, in collis declivi sedet; cujus est Parochia sub Sacerdote, in Messanensi Diocesi, Intemeratæ Virginis Conceptionis nomine insignita. Lares enumerat hodie 115. incolas 337. sed elapsi sæculi medio illi num: 58. opidani 249. censi sunt. *Petrus Balsamus* Liminæ Marchio, Philippi III. privilegio Princeps *Rocca Florida* mdcxiv. fuit renunciatus. Hic Soc: Jesu, S. Francisci Xaverii titulo domum Messanæ fundavit, vixitque ad annum mdcxl... cui absque prole mortuo, soror *Antonia* Jacobo Bonanno Montis Albani Duci in uxorem data, successit, huic vero *Petrus Bonannus*. Horum successores laudatos alibi consule, ubi de *Limina, Candicattino, Mon-*

se Albano &c. Est ejusdem pene cum *Limina* longitudinis, & latitudinis, nec minus feraci agro fruitur.

ROCCA MARIS Casale Comitis Rogerii largitione Troynensi Episcopali Ecclesiæ *mcxxxii.* concessum, cujus in Eugenii III. diplomate bona Ecclesiæ Messanensis, quæ post Troynensem suffecta est, enumerantis anno *mcli.* extat memoria.

ROCCELLA Opidum, aliter *Auricella*, a proxima *Randatii* urbe appellatum, supra fluminis cognominis alveum contra *Ætnam* montem jugo imponitur, Siculo ore Serro in austrum vergente, binas inter altas rupes, quarum unam *Arx* occupat ruinosa, olim inter primas regionis computata. Princeps Basilica veteris ædificii S. Nicolai titulum refert; sed & Beata Virgo de Audientia in propria eleganti æde est incolis singulari religione culta, & medio Augusto mense, sollemni pompa, feriatisque diebus cum nundinis, uti Patrona, in honore habetur; Subduntur majori Ecclesiæ v. sub Archipresbyteri cura in Messanensi Parochia, ac uni earum olim adjunctum memorant Carmelitarum Coenobium, quod defecit. His porro Eremitæ subrogantur. Dynastæ palatium spectandum, civium ædes decentissimæ. Hodie ille ex nobillissima gente *Spatasora* Marchionis *Rocelle* titulum refert, Gladii jus habet, Magistratus designat annuos, & locum *xii.* in publico Regni conventu obtinet. Incolæ sub Carolo V. laribus 213. utebantur, & anno *mdxcv.* sunt numerati 1137. Medio sequenti sæculo lares illis erant 396. & computabantur 1486. Hujus nostri anno *xiii.* focos 343. animas 1252. & novissimè 1393. recensent. Tauromenii Instructori quo ad militiam obnoxii, in Comarchia Randatiensi degunt. Agro gaudent uberrimo oleis, morisque con-

lito,

sito, & frugum divite. Fons in eo pereunis fluentum progignit, quod in Onobalam illapsum, hunc amnem notabiliter auget, & denominat. Venationi denique aptissimum saltus efficiunt; & pascuis abunde refertum, armentis, & gregibus omnino gratum nemora reddunt. *S. Dominicæ* demum Casale ad *Roccellam* pertinet, ejusque municipium dicitur; cujus est Ecclesia cognominis.

Damianus Spatafora Miles sub *Friderico II.* *Roccellæ* Baro audiebat. Celebrat *Fazellus Guillelmum*, qui *Ludovici* tempore Regiam aciem cum aliis dynastis, sub *Artali de Alagona* ductabat. *Rogerium* anno *mcccxl.* exhibent *Prothonotarii Regesta*, ac mox *Fridericum mcccxc.* Sed *Martino* rerum potente, quod forte *Spataforæ* illi infensas turbas reddebant, *Aragonis* conceditur primum, indeque *Bonamico Mangiante* ob illatas in Regium ærarium uncias auri *ccxx.* ex privilegio *Catanæ mcccxc.* signato apud *Barberium.* *Friderico Spataforæ*, non diu in gratiam recepto, opidum princeps idem restituit; Ille *Bartholæo Joenio* cessit, castrumque *Oliveris*, permutatione inita, recepit, ac *Bonamico* pretium solvit *mcccxcix.* *Joenios* circa *mccccl.* excepit *Franciscus Statella* *Catanensis*, cui *Joannes Rex Castri Ursini* præfecturam liberaliter impertivit. *Heroules Statella* sæculi *xvi.* anno *viii.* dominus *Roccellæ* dicebatur; Verum *Joannes Michael Spatafora* rursus ad se dynastiam revocavit, atque octennio post *Roccella* potitus, ad suos transmisit. Anno hinc *mdlxxxix.* *Michael Maletti* Baro, primus *Roccellæ* *Marchio Philippi II.* literis est inauguratus. Ex eo, & *Violanta de Bosco Joannes Franciscus*, qui cum *Laura Bononia Michaelæ* genuit. Princeps hic *Maletti*, & *Panormi* Prætor
incla-

inclaruit. De hujus successoribus consule apud *Milectum* Opidum, & *Veneticum*. *Roccella* longitudo est grad: xxxviii. xl. latitudo xxxvii. xlv. Memoratur Mongitorio in Sicula Bibliotheca Franciscus Rificatus *Roccellensis* patria, celeberrimus Legum Professor, amplissimæ eruditionis, ac doctrinæ vir; in supremis Siciliæ aulis Caussarum Patronus. Edidit *De Statu Hominum in Republica* insigne opus, duobus tomis comprehensum, & mss. alia in idem argumentum reliquit.

ROCCELLA Opidulum recentis originis, & ad maris Tyrrheni oram Arx, *Auricella* etiam nuncupata; cujus est nomen nautis formidabile. Parochia in illo ab anno mdcxcix. fundata in tumulo sedet, altera Ecclesia sub arce confurgit, ambæ Sacerdoti commissæ sub Episcopo Cephalædensi. Circa arcem quoque hospitatoria taberna satis ampla. Tormentis majoribus contra Piratas illa instruitur, & una ex insulæ Speculis audit. Fuit olim Ecclesiæ Cephalædensis juri obnoxia, cum agris circumpositis, uno scilicet cognomine, altero *Calcusa*, hodie corrupte *Calzulla*, quos illi ab Rogerio Rege designatos in dotem legimus. Tenuit subinde *Paulus Cicala* Colesani, & *Aliphia* Comes circa mcc. Ad *Vigintimillios* ex commutatione cum Albira feudo spectabat sæculo xiv. hisque deficientibus *Henricus Rubeus* tenuit mcccviii. & mox *Antonius Spatafora* Henrici ex sorore nepos. *Castronum* gens sæculo xvi. possidebat, inde ex dote *Alliatis* cessit. *Gaspar Grotta* primus *Roccellæ* Princeps mdcxcvi. renunciatus, triennio post opidulum condidit, quod simul cum arce *Antonio Martiano* mcccxii. accepto pretio resignavit, Principis titulo ad suos transmissio. Antonius Furnaris Princeps *Lautentio*

rentio filio reliquit, quem *Antonius* II. excepit. Computant hanc nonnulli in Valle Mazarenfi; at quum ad fluminis Himeræ Septentrionalis dexteram sedeat, quod Demanensem discernit a Mazarenfi, rectius illi adjudicatur.

ROCELLÆ Fluvius ortum habet prope Colesanum ex fonte *Favara*, aliisque auctus aquis, haud procul ab arce cognomine mari mergitur.

ROSMARINUS Fluvius, nonnullis vetus *Chyda*; dicitur a Rorismarini planta, quæ circa illius ripas abunde provenit. Ejus sunt fontes ad Colles faros vulgo *Montifori*, Faucesque habet inter S. Philadelphi fluminis ostia, & S. Marci littus. Cluverio Chydas est Furianus, uti dixi suo loco.

ROSSOLINUS Fluvius, vulgo *Rozzolinus* ortum habet post Franchæ Villæ aquilonares colles variis ex fontibus, ac per eorum valles cursum agit; Quumque in via occurrat, non semel illius trahiicitur alveus ab ultro, citroque iter habentibus, quorum commoðo taberna hospitatoria opportuno assurgit loco. Circa easdem valles metallorum mineræ paucis ab hinc detectæ, quæ non levis emolumenti fuere. Ubi in Castri Regalis agrum se effundit, S. Venerę amnem excipit, de quo suo loco. Ibi *Prati* nomen acquirit, jam inde a sæculis illi appictum, uti Martini Regis diplomate constat mcccciv. signato. *Machæi* regionem subinde alluit, & ab ea appellatur; *Machæi* idcirco fluminis meminit Maurolycus, quod incerti situs Massa appellavit. Tandem in pelagum se condit inter Longani, & Oliveris amnium ostia.

RUINÆ Montes; ita Colles Arenæ, vulgi voce *de Rina*, appellavit Borrellus, quos *Rubros* ab ejusdem arenæ colore congruentius dixisset. Vide *Arenæ Montes*. SA-



SACRA Insula ex Æoliis una, Græcis *Hiera*, de qua dixi, & *Vulcania*, uti infra.

SALAZARA Collis in Ætnæ latere ad austrum, sub quo anno MDCLXIX. ingens aperta vorago, unde largissimus igneus fluvius erupit.

SALINA Insula inter Æolias, *Salinis* etiam dicta, veteribus *Didyma*, de qua mihi jam in superioribus actum.

SALINÆ Mineræ Salis in agro Nicosiensi ad meridiem, unde salis petreæ excinduntur, haud secus, quam in Ennæ salinis; sed Ennensis præstat albedine Nicosinum, uterque autem pergratus in cibis palato evadit.

SALIX Opidulum, Siculis *Salice*, ex aquilonaribus Messanæ municipiis, in Peloriade littori impendit ab *Aqua Latronum* appellato. Ejus parochiale templum S. Stephano Monacho sacrum, cujus est memoria celebris xxviii. die Sextilis mensis. Coenobium, sed parvi nominis, sub S. Basilii institutis, ibi ascetas aluit, quod S. Stephani exuvias obscuro omnibus loco servat, uti traditio habet. Census larium 137. opidanorum 534. ac novissime 557. nostro hoc sæculo primus innotuit; recentis hinc foundationis creditur casale; at enim sub Tenimenti vocabulo ejus est mentio in Rogerii Regis diplomate mxxxiv. ubi lego: *Offerimus autem ipsi Monasterio Salvatoris Tenimentum Salicis, quod est in jurisdictione Messanensis Ecclesie, & S. Stephanum novum, qui est in dicto tenimento Salicis.* Et in altero mxxlv. *Obedientia Salicis* dicitur. Joeniis *Salicis* feudum Archimandritam mcccclxxx. vendidisse tradit Barberius in suo Capibrevio. Cætero non nisi MDXXXIV.

in illius parochiæ recensione *Casalis* nomine *Salix* venit; Archimandrita idcirco spiritualemente solam jurisdictionem in eo habet. Ager aquis & fructibus, Pirro attestante, affluit, sed moris præsertim confitus ferrico colonos ditat.

SALSUS Fluvius ad ortivas insulæ plagas decurrens, ex fontibus oritur in agro *Ficilino* *Nicosiæ*, *Sperlinghæ*, & *Villæ Aurææ* territoriis confine. Salis sapore ex proximis illius mineris subinde inficitur, de quibus jam supra, & *Nissoriam* usque profluens, *Sarni* petram, aliter *Serlonis* dictam, necnon *Agyrenses* colles allambit. Excipit hinc *Gallani* & *Ceramis* aquas sub *Rahalbuto*, cujus opidi fines aquilonares abluit, & fontibus augetur proximis, salsedinemque idcirco paulatim exiit, & ab eodem *Rahalbuto* sibi nomen adsciscit. Montis radices, cui *Centuripis* insidet, circa septentriones quoque, camposque late patentis irrigat, & in *Symethi* dexteram ripam tandem se condit. Hic *Demanensem* vallem circa *Sarni* petram a *Netina* diffindit, & veteribus, *Polybio* præsertim, sub *Cyamasori* vocabulo innotuit. *Cluverius* aliique *Cyamasorum* sub *Maniace* ortum habere tradunt, & sub *Centoripe* ad *Symethi* sinistram suas adjungere aquas affirmant. At enim falluntur; eo quippe loco *Rahalbutanus* fluvius, *Salsus* appellatus, *Symetho* adjungitur, qui & *Polybii Cyamasorus*, uti alibi edisserui. Hæc non sine periculo trahjicitur; pontem enim habet nullum. Vide *Cyamasorus*.

SALTUS CANIS, Collis in *Ætna* circa hibernū ortum, ad cujus sinistrum latus anno *mdcxxxv*. Ignis erumpens subjectis terris non leve intulit damnum.

SALVATORIS Monasterium Archimandritale, aliorum ordinis *S. Basilii* in *Sicilia*, & *Calabria* caput

put, ab Rogerio Comite primum ad isthmi Messanen-
 sis portus apicem humili schemate constituitur. Mox
 ab hujus filio Rogerio Rege augustiori forma repa-
 ratur, & tanto principe digna munificentia, amplif-
 sima dote instruitur. Primum a Comite in Abbatem
 præfectum S. Bartholomæum Trigonam vetusta ejus
 vitæ actæ perhibent. Sed Archimandritam, omnium
 scilicet Abbatum Maximum, & præcipuum Rogerius
 Rex Lucam ordinavit e Rossanensi, cui præerat, in
 Brutiis Monasterio e ductum. Alphonsus de Aragonia
 Ferdinandi II. Regis filius primus Commendatarius
 designatur; Hodie Joannes Gregorius ea dignitate
 gaudet, profertque in Comitibus post Episcopos votum
 x. Consule de hoc celeberrimo Monasterio Pirru-
 libri 4. initio. Caroli V. jussu, quod cælesti fulmine
 illius ædificia devastata fuerint, & ad urbis, portus-
 que tuitionem locus esset opportunus, Arx ibi mu-
 nitissima, & ingentibus propugnaculis circumseptam,
 insigni opere surrexit. Novum vero Cœnobium ele-
 gantissimum in ora portus, vulgo *Ringa*, Cæsar idem
 Monachis restituit, ubi hodie illi degunt.

SALVATORIS DE PLACA Ordinis S. Basilii
 Monasterium immanem, vastæque magnitudinis, in
 summo vertice planam rupem occupat, undique præ-
 ruptam, uno tantum aditu ab occidua plaga perviam,
 ibi Rogerii Comitis ævo B. Chermes vitam agebat
 solitariam, qui anno circiter MXXX. Comiti occur-
 rens, enixe, uti in cœnobium cellam suam amplificare
 dignaretur, exoravit; facilem ad votum piissimum
 Principem invenit, munificumque expertus est. *Placa*
 porro *rem planam* denotans, Cœnobio nomen attri-
 buit; idem Chermes primus est Abbas adlectus, cu-
 jus vitam, resque præclare gestas in suo SS. Siculor.
 opere Cajetanus complexus est. Vestigium in rupe
 osteu-

ostendunt ejusdem S. Abbatis prodigiōse impressum, quum illum ex alto præcipitem agere malus Genius tentasset. Commendatur hodie Joanni Baptistæ Vaccarino Mathematicis scientiis apprime imbuto, qui in Regni publico Consilio locum occupat xxx. Vivunt Monachi in proximo Franchævillæ opido paucis ab hinc, uti alibi dictum, ibique novum construere, veteri relicto Cœnobio, contendunt.

SALVATOR Opidum in Paetensi Diœcesi, ejusque juris etiam pro parte majori; est enim reliqua Monialibus S. Salvatoris in S. Marci opido obnoxia, quarum idcirco Antistita illius se dominam gloriatur, & Messanensi Archiepiscopo subjacet. Medio Fitaliae flumine a Castania, orientem versus distitum, ab Orlando promontorio in meridiem pass. m. circiter viii. disjungitur, ac tumulo insidet. Parochialis eedes S. Salvatori sacra Archipresbyteri curæ deputatur, qui Adjutoribus xii. Sacerdotibus utitur, ac filialibus Ecclesiis iii. jura dat. Pirrus Minores ibi Conventuales extitisse tradit, quibus Capuccini ab anno MDLXXXVI. successere. Verum utrique hodie absunt, & S. Bartholomæi Benedictinum Virginum Cœnobium antiquissimum ab anno scilicet MCCCIII. fundatum, solummodo viget, Paetensi subditum. Messanæ porro Archiepiscopus S. Mariæ Parochiam, & suffraganeas illi binas Ecclesias suas recognoscit, quibus Archipresbyterum designat. Larium totius opidi numerus sub Carolo V. 539. census est ex Fazello, sed opidanorum 1091. anno MDXCV. adnotatur, in quo error sane irrepsit. Anno MDCLII. foci 498. opidani 1848. descripti inveniuntur. Apud Pirrum lares 504. incolæ 1724. Nostro hoc sæculo 393. animæ 1410. & nuper 1364. sunt computatæ. Tortoricis Comarchia *Salva-*

tor comprehenditur, & S. Philadelphi Militarem Institutorem recognoscit. Ejus est latitudo grad: xxxviii. xv. longitudo xxxviii. xxx.

SANFRADELLUS. Vide *S. Philadelphus*.

SANPERIS de Monforte. Consule *S. Petrus*.

SANPERIS Supra Paetas. Consule *S. Petrus*.

SANCTUS Opidulum, Messanense municipium ad austrum, inter Bordonarium, & Gazim supra Dromum. Parochia Deiparæ de Consolatione addicta. Ordinis S. Basilii Monasterium S. Mariæ de Gratiis nomine insignitur, Eremitarum domus in superiori loco S. Mariæ de Angelis vocabulo gaudet. Lares 65. animæ 283. in censu describuntur.

SAPONARA Opidum anno mdccl. Caroli Regis privilegio Ducatus titulo insigne, in amœnissima sedet valle, fructiferis arboribus consta, pronoque in austrum solo, ab Rametta pass. m. iii. in aquilonem, totidemque a littore discernitur. Imminet illi vetus castellum ruinis affectum, ad alios hodie usus, uti dicam, deputatum. Elegans dynastæ palatium, ac magnificentum, in cujus atrio perennes aquarum fontes; non inconcinne civium ædes, quarum numerus licet medio xvi. sæculo tenuis 190. non excedebat, notabiliter circa illius exitum crevit, atque animas 1011. complectebatur. Anno hinc mdcclii. ad lares 395. & capita 1489. census evasit, ac decurrente ævo in focis 227. incolæ 679. sunt descripti, ac novissime 1557. In Castri Regalis Comarchia computantur, & Paetensi Militari Præfecto subduntur. Major Ecclesia duas cognoscit suffraganeas sub Ramettensis Archipresbyteri inspectione, qui suas Curato Sacerdoti vices delegat. Patrono, ac tutelari S. Nicolao Myrensi Episcopo gloriatur, duplici columnarum ordine assurgit;

Æris

Æris campani turri, organis, aris, supellectile emicat, & decentissimo circa res Divinas cultu instruitur. Minoribus Conventualibus, qui Ramettâ excefferant, anno MDLXXXVI. locus cessit cum S. Catharinæ Virg. & Mart: splendida Ecclesia; S. Philippi Nerii Sacerdotes arcis situm occupant cum sacra æde S. Antonio Patavino dicata. Binis augetur vicis *Saponara*; Primo sub *Rametta* S. Petri inest vocabulum, cum novissima parochiali Ecclesia a Victoria de Joanne, Alliata, Ducissa, constituta, focusque lx. circiter. Alter sub *Cavaleris* nomine innotescens S. Sebastiani Mart. Parochiam, & Societatis Jesu hospitium ostentat, a litore haud procul, in quo aliæ dynastiarum amplissimæ ædes, æstivalibus deliciis aptæ, cum Ecclesia S. Dominico addicta, cujus est ibi dies festus celebris cum nundinis. Reliquus porro ager potissimè moros fert, ad fericum non levi incolarum quæstu conficiendum.

Juris olim fuit *Saponara* illustris gentis de *Rubeis*, subindeque *Cruillis*, & *Marinis* Martino Rege cessit. Hinc cum aliis in regione opidis *Nicolaum Castaneam* illam tenuisse invenio, cujus heredes Montecatini exceperunt, uti alibi demonstratum. Ab his *Dominicus de Joanne* MDCLX. sibi adjudicavit, qui *Vincenzio* secundo filio reliquit. Ducatus titulum hic obtinuit, & ex Hieronyma Zappata *Dominicum* filium tulit, Tabellionatus Magisterium ex dote etiam affectus. Ex *Dominico*, & Isabella de Neapoli *Vincenzius* cretus est, qui familiæ aliàs nobilissimæ gloriam adauxit; S. R. Imperii quippe Princeps cum Altitudinis titulo emicuit, Caroli VI. Cæsaris ab intimis Consiliis fuit; at nonnisi *Victoriam de Joanne* heredem dixit, primo loco ex Flavia de Pagano Ucriæ Principe acceptam. Nupsit *Victoria* Dominico de
Alli-

Alliata Villæfranchę Principi, cujus habes alibi laudes.

SAPONARÆ Fluvius in cognominis opidi agro oritur sub Rametta; Convallem ejus abluit, & proximo Tyrrheno mari illabitur. Exigui est alvei, Aretio nihilominus memoratur.

SARRACENUS Portus, Catanæ olim statio sub ipsiſ moenibus ad austrū, ubi Triftani Sarraceni statua.

SATURNIUS Mons, Neptunii supra Meſſanam pars. Vide *Scuderius*, & *Spraverius*.

SAVOCA celebre hodie, ſed recentis nominis opidum; ejus enim mentio prima non ante annum mccccxv. elucet, & ſi Pirrus ſub Rogerio illud coaluiſſe ex variis Caſalibus tradit. Sedet in colle ſub vertice ſupra extremum Meſſaneniſ freti littus ad Argenum, vulgo S. Alexii promontorium, hibernumque occaſum reſpicit. Arx olim Rogerii Regis ævo *Pentafar*, uti tradunt, appellata, ab Leontio II. Archimandrita ſæculi xv. anno lxxx. magnificentius inſtaurata, Didaci Requeſentii tandem impenſis majori ambitu, & concinniori forma reſecta, aquilonarem occupat clivum. Major parochialis Eccleſia, in qua Archimandritæ thronus, Deiparæ Virginis in Coelum Aſſumptæ nomini ſacra, ab Archipreſbytero adminiſtratur, cui S. Nicolai Epifcopi, & S. Michaelis Archangeli, præ aliis ſubduntur, ubi Sacerdotes XII. Sacramentis populo ſufficiendis operam navant S. Lucię Vir: & Mar: opidanorum Patronæ Eccleſia ſpectatu digna. Prædicatorum in plano ſolo Conventus S. Dominico addiſtus an: mccccxlv. ortum cognofcit ſub Luca de Bufalis Archimandrita. Minores Conventuales extra primū, S. Antonii Patavini opera, in Deiparæ de Miſericordia, uti perhibent, coaluere; hinc S. Franciſci titulo ſub arce anguſto loco

intra pomerium confederunt, tandemque **MDCXIX.** frequentiorem situm nacti sunt, ubi decentissime vivunt. Capuccinos ab anno **MDLXXIV.** exceptos, patens, amēnusque locus fovet haud procul ab opido, circa extremas illius oras in austrum. In vertice denique altero Calvarii Ecclesia spectatur. Civium ædificia nitorem præferunt, sed viæ, uti declivis loci indoles postulat, inæquales. Longitudo opidi grad: **XXXIX. X.** latitudo grad: **XXXVII. I.** computatur.

Admoventur *Savoca* gubernaculis Curatores **IV.** Criminum Quæstor, ac Secretus, uti vulgo dicitur, quos Regni Logothetam designare affirmant; Quæstori Judices adduntur, Curatoribus Syndicus. Clero jus administrat Archimandritæ Vicarius; Militiæ urbanæ Tauromenitanus InstruCTOR præest, legionisque vexillum **LXXII.** pedites, equites **II.** custodiunt. Tauromenitana quoque Comarchia *Savoca* concluditur. Ager est illi amplissimus, nemoribus, sativis terris, pascuis, frugiferis collibus, moretis, vineisque refertus, hinc inter celebriora Siciliae vina *Savocentia* recensentur. Mare exquisitis abundat piscibus; littus idcirco *Savocense* ob id præ aliis notum; nec divites varii metalli mineræ illi desunt, nec maculosi lapides marmorei. Fons denique in eo aquas oleo imixtas effundit. Casalibus circumambitur, quorum aliquot ab occasu, ab ortu alia, & aquilone adfita. De his singillatim propriis in locis egi. Sunt eorum nomina Casale Vetus, Palearia, Antellum, Missanum, Locadis, & Palmolium. Subsunt *Savocensi* Magistratui, veluti municipia, ac *Savoca* legibus utuntur. Apud Casale Vetus, & Palearia nihilominus, incolis frequentiora, peculiare degunt publicarum rerum administri. His porro, & *Savocensibus*, uti dominus

minus etiam *temporalis*, Archimandrita moderatur, qui *Savoca* Baro audit. Anno *MDXL* Census *Savocæ* cum casalibus larium fuit 941. incolarum non diu post 4467. Casali Veteri, & Paleariis secretis, singulariter descriptis. Anno *MDCLII*. conflabant *Savocam* foci 1156. incolæ 3489. Hujus decurrentis sæculi an: *XIII*. focos 722. animas 2695. & nuperrime 5145. exhibuit.

Illustres Cives recensent: Dominicum Casablancam Ordinis Prædicatorum Vicentiæ Episcopum, qui Tridentino interfuit Concilio, & Paulo IV. familiaris fuit; Dominicum Lixium ejusdem instituti, Vici Præsulem, de quibus in Theatro Dominicano. Theodorum de Judiano Ordinis S. Basilii *MDXCVI*. Abbatem Generalem, & Apostolicum Delegatum; Antonium Cicalam Minorum Conventualium in Sicilia provincia moderatorem, & Generalem Commissarium, prudentia, & doctrina præditum; Sanctorum Crisafullim, qui Stratego Messanensis Vicesgerens fuit, ac M. R. Curiaæ Judex; Philippum Fleres Causarum apud Panormum præcipuum patronum, qui in S. R. Conf. foro jus dixit. Mongitorius de Jacobo Pittalo scribit, quod Græcè, & Latinè doctus fuerit, singularis poeta, & veterum monumentorum sedulus perscrutator, ob id Hieronymo Gravinæ acceptissimus. De eo etiam Crassus.

SAVOCÆ Fluvius fontes in agro, ad opidum cognomine spectante cognoscit, qui latissime extenditur; finesque Casalis Veteris alluit; sub ipso hinc opido circa meridiem decurrens, freti Messanensis conditur undis. Æstate porro pene siccus, hyeme haud difficulter trahjicitur. Circa hujus fluenti ostia littori adjacet vicus, ubi Archimandrita palatium,

& Ecclesia parochialis, unde incolæ Sacramenta participant.

SCALETTA Opidulum cum arce in edito colle supra fretum, pass. m. x. Messana diffitum, prominet. Parochialis sacra ædes S. Nicolao Episcopo dicata, in qua opidani SS. Philippum & Jacobum Apostolos veluti Patronos præcipuos colunt, alteri filiali præest, ac Sacerdoti Curato committitur. Fratribus Paulanis anno MDLXXXIV. Joannes Marchese dynasta Cænobium ædificavit, & Sancto Fundatori sacrum voluit. Ejus in Censu Caroli V. nulla extat memoria, Sed anno MDXCV. Scalettæ incolæ 604. descripti sunt. Medio XVII. sæculo lares 151. opidani 945. Anno MDCCXIII. foci 231. opidani 869. ac nuper 878. computati. Comarchia Tauromenitana comprehenduntur, ejusdemque urbis Instructori, quoad Militiæ munia parebant. Arx, ubi littoris specula an: MDCLXXVIII. Gallis obsidentibus fortiter restitit, tormentis enim instruitur, Præfecto, ac præfidiariis custodienda committitur. Respondet xxxviii. latitudinis, & xxxix. xv. longitudinis gradui. In ora maritima vicus cum Ecclesia, ædesque publicæ, ubi vectigal penditur, affurgunt.

Peregrinus de Partis Petri II. Regis Cancellarius anno MCCCXXV. primus *Scalettæ* Baro elucet, cujus filii, hæredesque ad LXXX. ejusdem sæculi annum tenuere cum Troynæ Foresta, seu juribus Nemoris; postremusque *Nicolaus* Martini I. ævo *Salimbenium Marchese*, uti sororis filium, Castri, & Terræ dominum ultimis tabulis vocavit MCCCXCVII. In Censu hinc ejusdem Principis MCCCVIII. *Salimbenius* venit. Fuit M. R. C. Judex, Messanæ Strategus, & Regni Logotheta, nec sine ingrati animi nota in Claro-

montanos

montanos mortis sententiam dixit. Hunc frater *Thomas* excepit, cui filius *Jacobus* successit, absque prole mundo exemptus. *Salimbenius* II. idcirco ex Joanne *Salimbenii* I. fratre natus sufficitur. Ex eo *Marinus*, *Elisabethę* Vigintimillię conjux; unde *Salimbenius* III. Post hunc thoro infœcundo mortuum, *Marinus* frater obtinuit. *Marino Salimbenius* IV. est substitutus; cujus magnificas Messanę ædes diu *Alphonsus* Neapolis Rex incoluit. Fuit illi uxor *Petri* Specialis filia, suscepitque ex ea *Franciscum*, cui *Antonius*, moxque *Joannes* frater MDLXXII. Genuit hic *Antonium*, unde *Ferdinandus*, *Francisci* pater, I. Scalettę Princeps ex Regio *Philippi* II. decreto MDCXIV. Absque filiis *Franciscus* decedens *Blasum* fratrem *Gualteris* dominum successorem nactus est. *Blasco Felix* ex *Laura* Valdina suscepta hæres unica superfuit, *Francisco Roderico Vigintimillio* Jeracis Marchioni uxor data, qui jura sua in *Antonium Ruffum*, & *Spataforam* ex Ducibus *Balneariæ*, accepto pretio, transtulit anno MDCLXXII. Post *Antonium Placidus*, ex *Alphonsina* Gotho *Forestę* Domina illi natus, susceptus est; qui *Forestę* Princeps inauguratus ex *Vincentia Rocca Antonium* habuit filium, *Guidomandris*, *Jampilerii*, *Artalię*, & *Molendinorum* dynastam, Fulsit *Victorii Amedei* Aulicus, uti & *Caroli* III. *Borbonii*, duxitque in uxorem *Eleonoram Columnam*, cum qua *Calogerum* procreavit eidem Regi a cubiculo. Ejus fuit uxor *Marianna Natolis* ex Principibus *Sperlinghę*; improles autem lue afflatus MDCCXLI. decessit. Excepit illum *Joannes* avunculus *Anne Migliorinę* maritus, Regi a cubiculo, *Antonii* genitor. Locum occupat in Comitibus XI. *Scalettę* Fluentum hyemis tempore in fretum proximum dilabitur.

SCARPACIS Acensis civitatis vicus circa occasum hibernum, hodie reliquis ejusdem vicis pene conjunctus.

SCHISON Statio in sinu Tauromenitano, ad ejusdem promontorii australis internum latus, quod aquilonem respicit. Dicitur & ipsum Promontorium, vulgo etiam *Schison*, Sarracenicæ dubio procul voce. Arx supra stationem, & hospitatoria, iter habentibus opportuna taberna subrigitur Ætæis rupibus inædificata. Eò enim montis incendia evasisse ex ortivo latere olim egesta, in dubium vertet nemo, qui & rupium materiem, indolemque, & eruptionis vestigia ad radices usque supremas advertere non gravabitur, uti Ego coram non semel ponderavi, quæ majori ex parte nostris hisce diebus culturæ aptantur. Naxus vetus in mediterraneis Stationi *Schison* respondet. Ejus fit mentio Rogerii Regis ævo.

SCHITTINUM Casale olim inter Adranum & Paternionem. Ager hodie amplissimus, aquisque irriguus, ad S. Joannis Jerosolymitani Messanensem Prioratum spectans. Juris jamdiu fuit Salimbenii de Marchisio; memoraturque anno mxcv. in Bartholomæi de Luce diplomate alibi laudato.

SCINA Littus, & statio in aquilonari insulæ latere, cum vico, ædibus Pirainensis dynastæ, & S. Rosaliæ Ecclesia; Ad Pirainum quippe spectat, seu *Pyrogmium* opidum. Vide.

SCOPULI CYCLOPUM, tres sunt contra vicum littori impositum, cui nomen *Trizza*, e pelago extantes rupes, in Catanensis sinus australi latere, post Xiphonium Promontorium, & Insulam, a Cyclopiibus etiam appellatam, hodieque ab eodem *Trizæ* vico nomen indeptam. Cluverius contra *Nisetti*, seu S. Ani-

S. Aniceti, & vulgo *Nizetis vicum* projectos dicit; qui in prominenti colle situs; exiguosque, & forma conis, seu metis similes optime describit; ad rectam denique lineam juxta littus, quasi certo quodam, & consulto ordine a natura compositos; ita uti prior insulæ proximus sit major, medius minor, postremus minimus. Poetæ a Polyphemo gigante contra Ulysssem fugientem intortos fabulantur.

SCOPULI VII. aliter *Fratres*, in Cephalædensi littore ex aquis emergentes, contra quos *Specula a Septem Fratribus* nuncupata.

SCUDERIUS Mons, seu collis, medius supra Neptunios, aliter *Peloriades*, qui uti alibi dictum, inter Messanam, & Tauromenium ab aquilone ad ortum longo jugo protendantur, subrigitur. Area supremum ejus verticem extendit, aliquantulum declivis; pass. circiter m. circumscripta, herbis scatens, Botanicis non ignotis, atque ad pharmaca conficienda; opportunis; in cujus pene centro scrobs est tortuosa, ac profunda, impenetrabilis, aquis fortasse ad imum profluentibus pervia, uti ex illarum murmure deprehenditur. Tumuli latera salebrosa, & cultui parum apta, sed pascuis convestita, nutriendis gregibus idonea, quibus aquandis fons latices præbet. *Ædificiorum* quoque ibi vestigia, & sepulchra conspiciuntur, vetustæ ætatis monumenta; atque uti conjectant, ad molas ventorum vi sagitandas, fortasse destinata non desunt, sed ruinis obruta, officina. Vallis inde ab Eremitis dicta succedit, & Eremitus sub invocatione SS. Trinitatis olim fundata, abruptusque hinc locus, quæ Messanam spectat, horrorem pene incutit. Consule Cajetanum in Itagoge, Fazellum, Bonfilium, aliosque Messanenensium rerum scriptores.

ptores. Dicitur *Seuderius* corrupte etiam *Spraverius*, & nonnullis *Saturnius*.

SCYLLÆ Fretus, & Charybdis. Vide *Fretum*.

SCYLLUM Opidulum, seu Vicus in freti ora sub Savoca, a Palmis haud procul, circa fluenti alveum, cum æde Salvatoris nomine, ac S. Josepho, nec non SS. Martyribus Cosmæ & Damiano incolarum Patronis dicata.

SEMINARA Vicus Acis S. Philippi, ab gente cognomine, quæ eò loci sedem statuit, appellatus; cum Ecclesia ad postremas in aquilonem opidi illius oras, Aci Catenæ proximus constituitur.

SENES Neptunii montis tumulus Polybio memoratus lib: 1. aliter *Eunes*. Vide *Neptunius*.

SEPTEM FRATRES. Vide *Scopuli VII*.

SERAPHINI Vicus S. Joannis de Puncta in aquilonem, cum rurali Ecclesia inter id opidum, & Pedaram.

SERRA ACUTA Collis in Ætna ad austrum, vulgari voce *Serra Pizzuta*.

SERRAVALLIS Fluentum a proximis Caroniæ collibus ortum habet, & in Tyrrhenum mare, *Mariazzo* capiti, & ejusdem Caroniæ amnis faucibus medium infunditur. Turris ejusdem nominis Fazello, & Maurolyco celebratur, circa quam dudum Casale, quod anno MCCII. ad Fridericum de Antiochia spectabat.

SERRUM Opidulum sub Peloritans collibus cum parochiali sacra eade Deiparæ de Cereis dicata, a Calvaruso haud procul sedet, Archimandritæ obnoxium. Ejus sunt lares circiter 30. incolæ 200. non excedunt.

SINAGRA Opidum in mediterraneis post Pæctas, humili, ac declivi loco situm, secus cognominem amnem

annem, qui veterum Timethus creditur, & Nafi etiam dicitur, uti de illo loquens tradidi; antiquæ est fundationis, & in Messanensi Diœcesis catalago sæculo XII. relatum sub *Senagræ* nomine, Comitisque Rogerii etiam ævo non obscurum. Unico parochiali templo sub S. Nicolai Myræ Episcopi titulo, sexque aliis minoribus Ecclesiis nobilitatur, quas inter S. Leonis Catanæ Episcopi insignior habetur; est enim hic civium principalis Patronus. Carmelitarum cœnobium *Antonio Lanceæ* dynastæ ab anno MCCC. uti Lezana affirmat, adscribitur, ac sub Deiparæ ordinis tutelaris nomine passim venit. Cryptam cum Eremitarum ædibus celebrant, eidem S. Leoni addictam II. ab opido lapide, cum perennis aquæ fonte, quò die II. Paschatis, magna frequentia incolæ, ac vicini festivam celebritatem agentes, conveniunt. Castellum in suprema opidi ora cum Ducis palatio pene integrum perseverat, ubi & S. Antonii eðes. Animarum curam Archipresbytero Messanensis Præsul committit, suoque Vicario Cleri regimen tradit; Curatoribus juxta Regni sanctiones, suisque administris Dux gladii usum habens, & in publico consilio votum XVIII. proferens, civiles commendat res. Erant lares sæculi XVI. medio 315. animæ circa ejusdem exitum 912. Insequentis anno LII. lares 329. incolæ 1136. Nostra ætate in censu de anno XIII. foci 109. animæ 676. & novissimè 708. Paçtensi militari Præfecto Sinagrenses obediunt, & in Tortoricis Comarchia computantur. Latitudo grad: XXXVIII. X. longitudo XXXVIII. XL. designatur. Ager oleis, moris, vineis, pascuis, frugibus denique felix habetur, & venatoribus gratissimus audit. Ex civibus commendant Tognoletus, Arturus, aliique Didacum Minorem Reforma-

tum, qui primis juvenilis ætatis annis in Scalpellii Eremito cum summa austeritate traductis, celebris; hinc in ordine Tertiariis, uti vocant, accensus, majoribus virtutum omnium exemplis insignis, sancto fine **MDCXI**. consumatus decessit. Franciscus Sacerdos Capuccinus, vitæ innocentia, & contemplationis studio clarus, S. Michaelis non semel apparitione dignatus, apud Annales Ordinis celebratur.

Anno **MCC**. pro S. Lucie opido, juris Ecclesie Paestensis, quod sibi Fridericus Cæsar pro deliciis vindicavit, data est Philippo, illius Episcopo *Sinagra cum justitiis, & pertinentiis suis*: Ad *Lanceas* inde Friderico II. rerum potente, transit. Hinc in ejusdem Principis Censu *Minfredus Lancea* **MCCCXX**. *Sinagræ* dominus adnotatur. Hunc *Conradus* excepit, unde *Antonellus Vigintimillius* dotis nomine accepit ob ductam in uxorem anno **MCCCLXIV**. *Margaritellam Lanceam*. Obtinuit pretio florenorum **M** auri **M**. exsoluto, *Henricus Rubens*, ejusque nepos *Antonius Spatafora*. At rursus Vigintimillii sibi vindicarunt. Sæculo **XVI**. *Affiditis* cessit; sub ejus exitum nihilominus *Flordeligia Vigintimillia*, ab *Antonio* cum *Claudia Villæcanis* progenita, opidi unica hæres, *Hieronymo Joppulo* Nasi Comiti in uxorem assignata huic dynastiam detulit. Ex his *Antonius*, nuda *Hieronymus* II. Dux primus *Sinagræ* Philippi IV. rescripto **MDCLIV**. inauguratus, ac Jure Gladii non diu post etiam insignitus. Suscepit hic ex *Isabella Vanni Josepham*, quam *Didacus Sandoval* conjugem duxit, S. Joannis Marchio, & Castelli Regalis Princeps. Vivunt hodie.

SOLIS BOVUM STABULA In agro Mylensi, quem vehementer fertilem, & pascua omnino habere miranda *Theophrastus Hist: Plantar: lib: 8. c. 3.*

vulgavit. Hinc poetis fabulandi anfa data est: Solis boves, ea in regione pabulari. *Mylas autem*, inquit Apollonii Scholiastes in Argon: lib: 4. esse peninsulam Siciliae, in qua Solis boves pascebantur. Plinius lib: 2. cap: 98. Circa Messanam, & *Mylas fimo similia expuuntur in littus purgamenta, unde fabula, solis boves ibi stabulari.* Agri nempe fertilitatem ab stercoreosis purgamentis, quæ littoribus impingunt, provenire tradit. Appianus denique de Mylis a Cæsare occupatis loquens, apud ejus agrum, ait, *Solis boves fuisse tradunt.* Haud procul Facelinæ Dianæ Templum, de quo dixi, & opidulum cum statione.

S. SOPHIA Collis est supra Catanam in aquilonem conspicuus, in quo olim Monialium sub S. Juliani nomine Cœnobium stetit. Ædificiorum adhuc hodie ingentia ibi perstāt vestigia, ad ejusque radices templi veteris superstitionis etiā rudera perseverant.

SORI MONTES, quos Fazellus Heræos dixit, Diodoro memoratos. Vide *Montes Sori*.

SPATAFORA Opidulum in territorio, sive ut aiunt, Mylensi Planitie, novissimæ est foundationis, *Gualterii*, vulgo *Gutterris Spataforæ* Malecti, & Venetici Principis opera, qui congregandi homines anno MDCCLXXVII. cum jure gladii privilegium exoravit, & in suo S. Petri de *Carriaggis* agro Parochiam eidem Apostolorum Principi sacram, latisque ac rectis viis descriptum opidum, non inelegans molitus est. Habitat hodie 134. incolis. Sacerdos curam habet animarum sub Messanensi Archiepiscopo; *Mutius Spatafora* Principatus tessera clarum, possidet. Ad Venetici opidi littus Palatium quadrati schematis, turribus ad angulos instructum, *Spatafora* etiam appellatur.

SPECULA NEPTUNII Montis, de qua, ubi de eodem Neptunio, & Peloro satis actum.

SPERLINGA Arx cum Opidulo adfiteo, in mediterraneis, bis pass. MD. supra Nicosiam ad æstivum occasum stat. Rogerii Comitis ævo celebrabatur; Sub Gallis memorabilis, quod contra illos minime insurrexerit; unde effatum illud: *Quod Siculis placuit sola Sperlinga negavit*; de quo tamen, quod vetus fuerit, dubitant Eruditi, quamvis in portæ superliminari, quæ Castellum aditur, adscriptum legamus, Respicit opidum australes plagas; Arx vivo saxo imponitur, magnaue ex parte internæ ejus officinæ in petra quoque excisæ, spectatu dignæ habentur. Has inter Dynastæ amplissimæ aulæ, conclaves assurgunt, ædesque sacra Divo Evangelistæ Lucæ addicitur, quæ olim, aucto nondum opido, major erat Parochialis, & nihilominus ea utitur hodie prærogativa; sed pomerio in dies magis, magisque extenso, ad incolarum commodum nova moliri cepta Ecclesia, sub S. Joannis Præcursoris Domini titulo, præcipua jura sibi vindicavit. Adscribitur porro hæc *Joanni Forti Natoli*, ad quem arx sub XVI. sæculi exitum spectabat; Eidem ea incolarum frequentia debetur, qui in focus hodie 295. ex censu ultimo 894. numerantur; elapso verò sæculo nonnisi 132. in laribus 42. sunt computati. Jam Arcis dominus *Ruffus Rubeus* MCCCXXXII. primus ad nos pervenit. Sub Petro I. Aragonensi, qui illam vi expugnavit, *Franciscus Scaglione* habuit, unde ad *Vigintimillios*; quumque *Franciscus Hieracii* Marchio defecisset, MCCCXXXVII. *Scalorus de Ubertis* Regni Logotheta obtinuit, eoque mortuo, *Riccardus Filingerius* jus in eo dixit MCCCXL. cui Montem Majorem *Franciscus II. Vigintimillius*

simillius assignavit, ipse sibi *Sperlingam* vindicavit, & ad posteros transmisit.

Ex his *Joannes* pecunia accepta, ad xxx. m. dcccxxxiv. auri uncias, *Joanni Forti Natoli* S. Bartholomæi, & Belicis Baroni resignavit, qui, uti innui, recentis opidi author mdcxvii. ex Regia voluntate fuit, & in Comitibus sæculo xvii. incunte assedit; mox Principatus titulo mdcxxvii. donatus, filioque unico *Francisco* cum Maria Orioles obtento, hærede relicto, mundo valedixit. Hic S. Petri de Monfort, dynasta etiam fuit, ac Moii Baro, variisque virtutibus se commendavit; at familiæ rebus parum intentus, *Joannem Stephanum Onetum Sperlinghæ* emptorem natus, huic quidem an: mdclvi. arcem cessit, sed Principatus tesseram retinuit, quam ejus filius ex Julia Lancea natus *Joannes* II. anno mdclxix. est assecutus. Genuit hic cum Maria Alifia *Franciscum*, variis in patria Messana supremis muniis summa cum laude perfunctum, cui *Joannes* III. obvenit, ex Catharina Ruffo uxore susceptus. Lucis usura fruitur *Joannes*, Peloritane Academiæ dudum, hodieque a Secretis, animi magnitudine, peritia in rebus agendis, non fucata eruditione, & humanioribus literis, uti opuscula typis ab eo vulgata testantur, abunde præditus. Jã quod ad *Onetos* spectat, *Joannes Stephanus* Caroli II. privilegio *Sperlinghæ* Dux mdclxvi. est appellatus, duæque in conjugem *Olivia Spatafora Dominicum* procreavit Vice-Comitem Franche Ville; Ex quo & Catharina Valguarnera *Franciscus*. Hunc Hieronymæ Valguarneræ sacris vinculis adjunctum *Joannes Stephanus* excepit, qui Rosaliam Monrealem ex Ducibus Castri Philippi sibi copulavit, & *Franciscum* II. filium, hæredemque habuit. *Sperlinghæ* ager late patens

tens, v i i. Feudis compingitur, frugibus ferendis aptissimis, pascuis uberrimis refertis. Nicosiensi conceditur Comarchiæ. Longitudinem, ac latitudinem ejusdem urbis pene habet. Tradunt olim ad S. Nicolai Nicosiæ Parochiam *Sperlingam* spectasse. Hac nostra ætate S. Augustini Fratres Excalceatos in opido constituere cogitant; sed an coaluerint hodie, ignoro.

STATIO Siculis *Stazzo* post *Acis Scalam* in littore occurrit. Ibi aqua mineralis ferrea, diuretica, & vetusti opidi vestigia; passim enim numismata Græca, & Romana in agro proximo effodiuntur.

STATIO SANCTI GEORGII ad *Pactarum* urbis littus, navigantibus notissima, in qua Vicus cum Ecclesia cognomine.

STATUA NEPTUNI ad *Portus Messanensis* fauces. Vide *Pharus Tarris*.

S. STEPHANI Insula, seu *Scopulus* in *Tauromenitano* aquilonari littore.

S. STEPHANUS de *Mistretta* Opidum olim ad urbis hujus vicinia, in mediterraneis surgebat; At enim, quum anno *mdclxxxii.* ex ingenti pluvia, die *vi. Junii* subsidente solo, in præceps totum abiisset, adeo ut, sublata re familiari, locum sibi quærere opidani adigerentur, alio translatum, amœnissimo tumulo impositum, littori inter *Caroniam*, & *Thufam* hodie imminet, & pulcherrimo schemate describitur. Portæ enim sese invicem ab ortu in occasum respiciunt; viæ rectâ protenduntur; media area sternitur amplissima; Dynastæ palatium lætissimo aspectu totius pene aquilonaris oræ gaudet; Major denique Ecclesia *S. Nicolai* Epif. nomine insignita præ aliis *vii.* suffraganeis elegantior, in centro assurgens, sub Sacerdote

dote Curato, communi Clericorum collegio instruitur, ac Cephalædensis Parochiæ jura recognoscit, cujus Episcopus vices suas eidem Curato delegat. S. Stephani vetus ædes, quæ olim SS. Trinitatis de Mileto Abbati, & S. Anastasiæ de Castello Bono subdebatur, est una hodie ex minoribus. Pirrus S. Dominici familiam dudum Deiparæ de Rosario Ecclesiam tenuisse scribit, Vincentii Larcæ dynastiæ opera, sed sæculo xvii. defecit. Minores Conventuales, qui in novo opido e veteri translati coaluerant, paupertate pressi paucis ab hinc recesserunt. Puellarum pauperum, quæ parentibus orbantur, Ginecæum *Joseph Lancea* Camastræ Dux fundavit. Lares mdcxxiii. computati 281. incolæ 754., novissime 796. sed erant elapsi sæculi medio foci 314. animæ 1187. In aliis Censibus descriptio apparet nulla, quod cum *Mistretta S. Stephanus* veniebat; in cujus perstat adhuc comarchia, sed militarem S. Philadelphi Præfecturam recognoscit. Principatus titulo ab anno mdcxxxix. Philippi IV rescripto gaudet, & latitudinis gradum xxxviii. v. longitudinis xxxviii. x. sortitur,

Nicolai de Calatajerone fasces olim S. *Stephanus*, uti in *Friderici II. Regesto*, cognovit; sed mcccclxxi. *Rogero de Seniso* subdebatur, ob cujus defectionem *Martinus Rex Guizaro de Lisages* attribuit. Hujus autem successores ad mdvii. tenuisse prodit *Franc. Emmanuel* in suo Siciliæ Nobilis præclaro opere; Ab *Lisagiis* mdxxx. circiter ad *Larcæanos* devenit, *Castellutii* etiam dynastas. Emit ab illis *Antonius de Neapoli* mdcxxxix primusque illius Princeps est inauguratus. Duxit hic in uxorem *Mariam Gomez de Sylberia*, moriensque sine prole sui hæredem illam, dixit mdclvi. Ad secundas hinc nuptias cum *Josepho Lan-*

Lancea Camastræ Duce convolans *Maria*, conjugii dynastiam, ac titulum contulit, qui ea amissi, Melchioram Castello sibi copulavit, tulitque filiam; *Joannam Ignatio Lanceæ* Trabiæ Principi sacris adjunctam vinculis. Ex his *Joseph Lancea*, qui MDCCLVI. pretio accepto, *Antonino Strazzeri* Calatajeronensi Cutumini Baroni opidum cum territorio assignavit. Jus Gladii hic usurpat, & in Comitibus loco XXXIX. sedet.

S. STEPHANUS *Inferior, Medius, & Supremus* ex Messanæ municipiis ad austrum, VII. ab urbe lapide. Occurrit in ora circa freti litus ejusdem vicus, moxque haud procul in fluenti alveo *Inferior S. Margaritæ* nomine in mediterraneis, plano solo se offert, ac Principatu decoratur, quem primus *Joannes de Panormo*, & *Aretio* tulit MDCCVIII. & post hunc *Franciscus*, cui *Thomas* frater successit, *Flaviæ de Gregorio* maritus, unde *Joannes* pueriles annos nondum egressus. Hujus parochialis ædes *S. Margaritæ Virginis, & Mart:* nomine non inelegans affurgit. *Medius*, qui succedit elatori situ *S. Mariæ de Viridariis* Ecclesia, ubi sacra administrantur, decoratur, ac altera *S. Mariæ de Lavina* instruitur, quas incolæ in præcipua veneratione habent. *Supremus* denique binis Parochialibus gloriatur, unde incolæ Sacramenta participant *S. Joannis, & S. Nicolai* titulo insignibus. Singulis porro Parochiis proprius præest Curio. Læres in omnibus MDCCLXIII. 397. capita 1463. recensæ, sed novissimè 995. sunt descripta. Ager moris, oleis, necnon fructiferis arboribus, peris præsertim confitus, habetur, majorique ex parte *Josepho Balsamo Staderæ* Baroni est obnoxius, cujus filius *Franciscus Castellacii* Princeps audit.


STREPIUM Opidum. Consule *Tripis*.

STRONGYLE Insula inter *Æolias* ultima, & ignita, Siculis *Strombolis*; nomen habet a figura; minime enim angulosa, peneque rotunda est. *Strongylos* autem Græcis, Latinis dicitur *Rotundum*. De ea sic Veteres: Strabo lib: 6. *Strongyle a figura suo dicta, ipsa quoque ignita, ac fulgore excellens, in qua habitasse Æolum ferunt*. Solinus cap: 12. *Strongyle Æoli domus vergit ad solis exortus, minime angulosa, quæ flammis liquidioribus differt a cæteris. Hæc causa hinc efficit, quod ejus fumo potissimum incolæ persentiscunt, quinam flatus triduo protendatur; quo factum, uti Æolus Rex ventorum crederetur*. Capella denique, ut alios præteream: *Strongyle, in qua Æolus regnasse fertur, & a flamma in proximum erumpente, vel ejus fumo, qui ventus futurus esset, intellexisse*. Distat a Lipara pass. m. x. e Mylis Siciliæ urbe, cui respondet l. in circuitu patet x. Pumices magna copia e collis vertice, ubi craterem habet, cum sonitu eructat, eminusque navigantibus nocte ex igne conspicitur, die vero ex candidissimo fumo. Nonnullas habet ad littus stationes, ad æstivum nempe ortum, atque occasum; intus vero alicubi sterilis, ob ignis propinquitatem, & salebrosa, pumicibusque varii coloris respersa; alicubi foecunda; Ex vicinis hinc insulis solum coloni ligone subigunt, ad gossipii plantas, quibus ferendis aptissimum inveniunt. Adjacet illi a septentrionibus exigua alia insula innominata, quæ adiri pede potest.

SUCCURSUS Opidulum post S. Luciam, oletis undique circumfusum, patienti tamen, sed declivi in hibernum ortum solo sedet, & Parochiam Deiparæ cognomini sacram habet, cujus commissam tenet cu-

ram Sacerdos ab Abbate S. Luciae olim adlectus, ab anno MDCL. per Messanensem Archiepiscopum designatus; rursus tandem ab Abbate paucis ab hinc; erat enim opidum de Parochia ejusdem S. Luciae; verum absente Abbate, sese incolae Messanae Praesuli subjectos professi sunt, eosque hic vicissim uti suos accepit, quod intra suae Dioecesis fines concluderentur. At enim Marcelli Muscellae Abbatis opera ad jura pristina illa rediit. Suffragantur porro majori Ecclesiae binae aliae, colonorum foventes pietatem, quorum numerus descriptus novissimè 586. exhibuit: Colitur Beatissima Virgo de Auxilio, vulgo de *Succursu* a confluyente ex opidis proximis populo, singulari, ac praecipua pietate; invocantes enim illam facilem optatis, benevolamque experiuntur. Subest quo ad Civilia Partanae Principi.

SURRENTINUM Opidulum Pactensis Dioecesis in collium jugis, inter pactas ad aestivum occasum, & Jojufam, cum S. Nicolai Ecclesia, parochialia munia habente, cujus sunt lares 68. incolae 287. Tenit anno MCLXXI. *Vinciguerra Aragonius*. At non diu cum aliis ad se revocavit Episcopus Pactensis. Marchionatus titulo insigne possedit aliquando *Ascanius Ansalone* MDCLV. de quo alibi; Eandemque tesseram MDCCXXX obtinuit *Sylvester Polisius* Alcantare Eques. Hodie ejus ex *Francisco* filio nepos cognominis, *Sylvester* ab anno MDCCCL. *Surrentini* Marchio audit; Sunt autem opidani Montanae Regalis Duci *Philippo Vianisi*, & *Ansalone* obnoxii.





AGARA LEONIS Sub Ætnæ supremo vertice ad ortum Declive, Siculo *Dorsum Asini*, quia Dorsi figuram exhibet. Ibi olim ingens fossa, seu crater, nivium, quæ solvebantur, aquas excipiebat, ignei torrentis materia subinde elapsi sæculi initio oppletus.

TAMARITIUM PALMARUM Locus in Antonini Itinerario Messanâ xx. pass. m. versus Tauromenium absens. *Trajecto Messana* xii. *Tamaritio Palmarum* xx. *Per Tauromenium Naxo* xv. Cluverius ad Nyssi amnis ostia situm tradit; Marius Pace sub Savoca statuit; inter hujus quippe municipia *Palmolium* extat, seu *Palmis* in fluenti alveo, & nomen adhuc servare videtur; congruunt aliunde omnino distantia.

TAPANUM Locus sub veteri Alesa, cujus sit mentio in lapide Græcè inscripto apud S. Mariam de Palatio dudum invento, quem refert Gualterius.

TAURIANUM Casale, quod anno mxxxii. Troyensi Ecclesiæ Rogerius Comes attribuit, atque in Diœcesis Messanensis Catalago Eugenii III. diploma enumerat. In Actis Conciliorum *Theodorus Taurianus Episcopus insulae Siciliae* Actione vii. subscribit. De hac autem Episcopali urbe nulla apud nostros memoria; nec Casalis hodie locus conspicuus indicatur.

TAUROMENIUM Vetus Civitas celeberrima, ac pontificia dignitate dudum illustris, *Notabilis* in Regiis libris hodie appellata, in montis Tauri, ardui, & difficilis ascensus, de quo mox dicam, jugo protenditur post Argenum promontorium, xxx. circiter

pass. m. a Messana in austrum, quod sanè jugum sub altero longè, ac latè in mediterraneis diffuso colle, mari imminet, & Naxi antiquissimi opidi sinum, *Tauromenitanum* hodie nuncupatum, prospicit. Aditur porro ab hujusce sinus ora, a Viridariis dicta, prærupto, ac flexuoso itinere, e meridionalibus insulæ partibus eò appellentibus, quibus prima occurrit porta de *Tocco* occasum respiciens hibernum; Huic verò altera elatior succedit, S. Antonii ab ejusdem Divi proxima Ecclesia, cui ampla turris munita cum præsidario milite adhæret ad sinistram; nec inde procul patens area aperitur, ubi præclarus e marmore fons urbis stemmate, Minotauro nempe insignis, perennes latices iv. ad angulos habet. Respondet areæ major Ecclesia ad dexteram cum fronte, & æris campani turri in occasum respicientibus; quæ S. Nicolao Episcopo sacra, structura nobilis, duplici columnarum ordine assurgit, ac unica totius opidi Parochia, Archipresbytero curante, insigni Canoniorum collegio decoratur. Pergit hinc via, pene ad regulam, laxior, veteri Civitatis porta definita, ubi horologii opus, Media, & a Suburbio dicta, unde rectà etiam ad portam novam, Messanæ titulo, elegantissimam pertingitur, quam lata ortivæ excipit area, circa sinistram S. Pancratii Civium Patroni æde, antiqui fortasse templi ruderibus superstructa, ad dexteram verò celebris Theatri, vulgo Colossei, magna ex parte extantibus monumentis circumscripta. Media autem porta a Suburbio idcirco dicitur, quod opidi fines ipsa olim decernebat, ac reliqua, ubi Suburbium erat, crevit adeo, uti urbis pars hodie computetur.

Jam vero descripta via, quum ab occasu in ortum

tum tendat, urbem in duas veluti partes aquilonarem, austrinamque discernit, & in hac, quæ nobilior, ac latior est, præter principem Basilicam inspectione dignum cum primis videtur S. Dominici magnificentissimum Monasterium, paucis in provincia secundum, ubi ad probationem alumni educantur; longe enim ordine Monachorum conclaves subriguntur, eminusque sese navigantibus objiciunt; Nec elegantia in Ecclesia desideratur, neque in peristylio; nec fratrum denique numerus in Divinum cultum incumbentium est tenuis. Augustinienses sub S. Sebastiani titulo ab anno MDXXX. constituti a porta media haud procul cum prætenta area decenter incolunt, quamvis in MDLXXXIV. perperam Annales Ordinis foundationem rejiciant. Sanctimonialium Claustrum B. Virgini de Valle Viridi cultui addictum, ædificiis nobile in Suburbio subsequitur, in quo sub Benedictino instituto exactissimè illæ vivunt. Ad oram eandem, ortui tamen hiberno oppositam, S. Mariæ de Jesu vetustæ originis Cœnobium Minoritanos de Observantia excipit sub Theatro; Adscribitur enim S. Antonio de Padua anno circiter MCCCXXV. hinc & cupressus ostenditur ab eo plantata, & Deiparæ Virginis imago prodigiis clara in Ecclesia colitur antiquissima. Thossinianus superstite adhuc S. Francisco ædificatum vulgavit, uti Cagliola scribit, qui Conventualibus ab initio ad annum MCCCXXXII. suffragasse tradit; S. Bernardini Senensis idcirco opera Observantibus fortasse cessit, ab eoque S. Mariæ de Jesu titulum accepit. S. Dominicæ demum ædes a Monasterio Vallis Viridis haud procul, Ecclesiæ majori suffraganea spectatur, in qua Sacramentis circumjacenti populo administrandis Sacerdos vacat; ut de civilibus ædificiis.

ficiis nihil hęc proferam, ac de Cimelio in Ducis S. Stephani eleganti domo, antiquitatum cultoribus notissimo, brevitatis studio, abſtineam.

Imminet a ſeptentrionibus, præruptæ, ac acuminatæ molis ſupercilio impoſita arx Regia, ſitu; & operum munimentis firmiſſima, atque expugnatu difficilis, ad quam per aſperas rupes anguſtus patet aſcenſus; ex Præfecturis inſulæ non ultima, & primariis in militia Ducibus commiſſa, qui & urbis quoque cuſtodiaę invigilant. Subeſt illi in ortum Capucinorum Conventus, medio ſæculo xvi. moliri cęptus, prope S. Catharinæ Eccleſiam, quam ſuis uſibus illi aptarunt; ex fidelium eleemoſynis, congruis inſtituto fabricis concinnatus, & ſylva, patenti amœno loco liberaliter auctus. Ad eandem oram mœnibus adſitam ſupra Meſſanæ portam S. Franciſci aſceterium, cum S. Mariæ de Auxilio, vulgo de *Succurſu*, hodie S. Antonini, æde ſurgebat, anno m̄d̄xxxii. excitatum, uti cum Thoſſiniano docet Cagliola, quod medio elapſo ſæculo adhuc perſtabat; ſed fratribus abinde recedentibus, ſola ſuperſtes nunc durat Eccleſia. Carmelitis quoque locum fuiſſe ab antiquo, illis olim addicta Eccleſia teſtatur, in qua Deiparæ non manufacta imago, uti ajunt, in ſumma eſt hodie veneratione. De ea porro locutum fuiſſe Theophanem Ceraumeum ſuis in ſermonibus, Cajetanus, & Mongitorius ſuſpiciantur. Paulanis S. Lucie Parochiam majori ſubjectam anno m̄dcxvii. Andreas Maſtrillus Meſſanenſis Archiepiſcopus adminiſtrandam dedit; adhærenſque illi conſpicuum Coenobium ſub S. Patriarchæ nomine civium pietas attribuit, ſupra S. Antonii ad occaſum portam. Ferunt autem illam jura habuiſſe primaria ante Sarracenos, & alio ſub nomine cultam

cultam uti matrem. Quod Basilienses Monachi prope S. Pancratii eodem Monasterium incoluerint, ex variis ibi ruderibus conjectant; perstat aliunde Abbatiae titulus sub ejusdem S. Episcopi nomine, cujus collatio ad S. Salvatoris Abbatem spectat.

De Societatis denique Domo statuenda, quum anno MDCXLII. Cæsar Boscus *Tauromenitanus* Provinciae Propositus egisset, conflatoque censu Carolus Rubeus civis & ipse ejusdem instituti, septennio post suorum inducta Colonia, Ecclesiam S. Ignatii auspiciis, scholasque publicasset, altero nondum lustro elapso opus est dissolutum, proventusque Canonico Principis Templi Collegio addicuntur. Non omittenda Hospitalis in S. Vincentii Ecclesia Domus ad pauperes infirma valetudine affectos excipiendos destinata, in qua & alia pietatis munia etiam exercentur; neque SS. Petri, & Pauli sub Observantium claustris antiquam minorem eodem præteream, in qua varia transactæ ætatis monumenta congesta, atque inscripti lapides servabantur, in Museum hodie Ducis S. Stephani supra laudatum translati. Quum variæ porro ex ingenuis Siculis familiis *Tauromenii*, exacto etiam ævo, sedem statuerint, nobiles non desunt, & in hac regione civium domus, unde queat vetus urbis præstantia conjici, cujus nonnisi hodie umbra veluti perseverat. In ultimo enim, hujus sæculi anno XIII. inito, publico censu, lares 723. incolas 2784. exhibuit, qui hodie 3149. enumerantur. At in Caroli V. descriptione lares 1262. & anno mox MDXCV. focos 1378. animas 5580. protulit.

Ad Œconomica descendo. Animarum sollicitudo Archipresbytero, uti jam innui, incumbit, qui in sububiis Gaggero, Mola, Moniuffo, Melia, Graniti,
Gaggero

Galloaureo, Letojanni, & Viridariis jus dicit; **Ca-**
nonico preponitur Collegio, & peculiaribus insigni-
bus utitur, uti vetustæ Episcopalis sedis caput. Clero
Messanensis Archipræsulis Vicarius moderatur; Ci-
viles res, ex iv. Curatoribus constans Magistratus ad-
ministrat, cujus est insigne Minotaurus, & locus in
publico Regi confessu xxii. Contra Maleficos Que-
stor, sed citra jus sanguinis, & Judices invigilant,
Syndicus populi partes gerit; **Armorum Dux, In-**
digenæ militiæ Instructor, ac Regius Procurator, seu
Secretus suis funguntur muneribus. Ager ad meri-
dionalem oram latissime excurrens, ab aliis vero con-
tractior nulla non germinis specie ad vitæ necessi-
tates, ac delicias abundat; in planis enim campis fru-
gibus, leguminibus, oleribus, pascuis; in collibus, tu-
mulisque, vineis, moris, oleis, arboribusque fructife-
ris passim convestitus, in excisis demum locis mar-
moreos lapides variegatos, & metallorum venis ali-
cubi resperfos suppeditat, quibus concinnandis no-
biliores ædificiis, Ecclesiis, conclavibus operæ pas-
sim per Siciliam utuntur. Servat ex illis nostrum
Catanense Museum ad xxiv. diversè maculatos, eo-
rumque aliquot jaspidem duritie emulantur. Extra
urbem ad occidentem fons est **Xiphonius**, qui urbem
ipsam valle ingenti præterlabitur, & molas triticeas
complures volvit. De cæteris agri hujus dotibus con-
sule **Fazellum**, qui ex canis mellitis (messis hæc ho-
die nulla est) & vino celebratissimo, necnon ex grata
uva **Eugenia** apud **Plinium** memorata illum commen-
dat. *Mare opulenta piscium captura*, subdit ille, *in-*
signe est, nullorum præsertim copia, quos Græcis tri-
ebias, barbatos Plinio appellari affirmat.

De Tauromenii ortu multa feruntur, quæ in
meis

meis ad Fazellum Notis majori ex parte habes. Hic cursim præcipua exprimere sat erit. Diodorus l. 14. Occupatum *Taurum* montem ab Siculis fuisse, tradit circa Olymp: xcvi. quibus pridem Naxiorum terras Dionysius Syracusanus concesserat; hi enim Himilconis Pēni Ducis promissis adducti, collem infederant natura munitum, & muro circumdatum incoluerant, atque a mansione in *Tauro Tauromenium* appellaverant. Subdit postea, quod quum Tyrannus agrum vellet a *Tauromenitanis* vi repetere, reposuerunt hi, se a patribus fuisse edoctos, quod Græci navibus circa *Taurum* delati, loci incolas expulissent, ideoque jure se patrium recuperasse solum, & injuriam majoribus suis a Græcis illatam merito vindicasse. Hinc lib. 16. eorum immemor, quæ dixerat, uti Cluverius advertit. Andromachum *Tauromenitanum*, congregatis in unum his, qui ab Naxi excidio fuerant reliqui, collem ei urbi proximum, a *Tauri* forma appellatum, ad multum temporis inhabitasse affirmat, & a diutina habitatione in *Tauro Tauromenium* appellasse; est enim Græcis *Mencin*, Latinis *Manere*. Strabo lib. 6. a Zanclicis Hyblæ incolis *Tauromenium* originem habuisse docet, uti a Naxiis Catanam. In Phalaridis Epistolis *Tauromenitanorum* fit mentio. Pythagoræ demum vitæ antiquissimus scriptor *Tauromenii* Siciliae opidi notitiam affert, & Philosophum in eam urbem delatum tradit. Vixit autem Pythagoras longe ante Dionysium.

Brevi post Andromachum promotis opidi rebus, factum est, eodem Diodoro teste, uti incolæ opulenti, & locus honoratus redderetur. In tot subinde insule motibus *Tauromenii* nomen non obscurum, sub Aga-

thocle præsertim, qui complures urbis optimates sibi infestos ad se evocatos jugulari jussit. Hinc cum *Tauromenitanis* ac *Penis Græcanicæ* aliquot urbes inita societate contra illum conjurarunt. Pace inter Romanos, & Hieronem, qui Agathoclem exceperat, conflata, *Tauromenium* inter urbes sub Hieronis dominio retentas enumeratur. Hinc cum M. Valerius Levinus Romanus Consul Hieronis quoque Regnum, eo defuncto, in provinciam redigeret, *Tauromenitanos* bene de Populo Rom: meritos, in foederatos recepit, ea lege, uti nedum eorum Decumæ venirent, sed ne naves, nautas, sumptusque in Navarcos dare cogerentur. Marcello Syracusas subinde obsidenti in primis suppetias nostros tulisse, Silius commemorat. Servili bello, quo aliquando Sicilia vexata, *Tauromenitanos* gravi quoque clade affectos fuisse comperio. Verum eo post triennium confecto, provincia constituta, nostri eadem lege, qua prius, in Rom: Pop: fidem recepti sunt. Verris iniquitate, atque avaritia, contra foedus, complura, *Tauromenii* immunitatibus adversa decreta sunt; Cives hinc illius statuam in foro positam everterunt, basim tamen manere voluere, ut probro eidem esset, ac scirent populi posteri statuam esse dejectam. A Sexto demum Pompejo occupata, & si Cæsarem a præsidiariis prohibita non admisit, id fraudi tamen apud victorem urbi non fuit; quin profligato Pompejo, Civium Romanorum colonia condecorari meruit, eoque evasit uti publica tot opera, eaque celeberrima moliretur, de quibus infra edisseram; quamvis ex iis fortasse nonnulla Augusti ætatem præcessisse, non incongruè subdubitem.

Christianis auspiciis via orbe consecrato, ab Apostolorum

stolorum Principe *Tauromenium*, dum per ejus oram
 uti tradunt, iter forte ille ageret, Episcopum Pan-
 cratium accepit. Alii tamen & rectius Pancratium,
 cum sociis Sacerdotibus ab Apostolo *Tauromenium*
 destinatum adstruunt; ex illis vero Syracusas Mar-
 tianum, Berillum Catanam, Philippum Panormum,
 & reliquos præcipuas alias in Fide instituendas ci-
 vitates, aut eodem, aut diverso tempore, ut dabatur
 occasio, ministros suscepisse substinent. Nactus est
 Pancratius successores, morum sanctimonia, zelo,
 ac doctrina insignes, ad Sarracenorum usque invasio-
 nem; nec paucos numero fidei pugiles pro Christo
 Domino passos, vitæque monasticæ sectatores tunc
 temporis *Tauromenitana* fovit Ecclesia. Postremus ejus
 pastor Procopius a Barbaris una cum Clericis suis
 martyrio coronatus, Leonis, & Constantini ejus filii Im-
 peratorum temporibus perhibetur. *Tauromenii* enim
 veluti munitissima in urbe, tota licet Sicilia Sarra-
 ceni potirentur, Romano-Græcus Prætor sese adhuc
 continebat, eoque primarii ex Siculis convenerant,
 qui diuturna demum obsidione afflicti, hostium vi
 cedere compulsi, illorum jugum ultimi ex insularis
 subiere. Magnam civium stragem tunc quoque secu-
 tam Fazellus prodit; sed de parte Rogerii Comitis
 virtute contra barbaros victoria, *Tauromenium* tenen-
 tes, nec verbum profert. Contigit autem hoc pacto:
 Expugnato Castronovo victrices copias in Dema-
 nensem vallem Comes traduxit, & *Tauromenium* ob-
 sidendum suscepit. Inter aspera igitur montium juga
 duas supra viginti, veluti arces ex lignis compactas
 extruxit, murumque interjacentem ex arborum trun-
 cis, ac ramalibus disposuit, sicque arctissime urbem
 vallavit. Sarracenos diu Northmannis nihllominus re-

stitisse Historia tradit; quum vero aliquando Roge-
rius non longe a littore Tunetanam classem adna-
vigantem conspexisset, censuit auxiliarem illam ob-
fessis advenisse; ubi vero eam contra Piratas excur-
rere accepit, obsidione promotâ, hostes tandem diu-
tina fame vexatos ad deditiorem coegit.

Ordinavit non diu post Comes, Urbano II. an-
nuente, Troynensem Parochiam, cui Pontifex Ro-
bertum Episcopum præfecit, quæ dignitas Messanam
subinde traducta; in Diocesi autem *Tauromenium*
conclusit. Varia sub Aragonensibus fortuna usa est
urbs; nec paucas calamitates illam subire oportuit tot
in procerum sibi invicem adversantium turbis, quas
inter nihilominus fidem suam Regibus egregie pro-
bavit. *Tauromenii* Martini Regis Legatos Berlinghe-
rium de Cruillas, & Berardum Queraltum convenisse
Artalem Alagonam invenio, ut certis conditionibus
hic sese cum eo Principe conciliaret. Anno mccccx.
celebrata sunt *Tauromenii* Regni Comitia, in quibus
de novo eligendo Rege post Martini II. mortem a-
ctum est. Sæculo tandem xvii. a Philippo IV. ne un-
quam a *Demario* avelli posset, speciali privilegio impe-
travit. A Gallis non diu post, qui Messanâ occupabant,
sub annum ejusdem sæculi lxxv. dura obsidione vallata,
quum esset præsidiariis vacua, aliquando hostibus re-
pugnavit, nec sine illorum strage, ipsiusque Ducis
morte, deditiorem tandem die xix. Octobris fecit.
Abiit tunc tota in prædam, ac nonnisi ab excessu ho-
stium ex insula, legitimo domino reddita. Est hæc re-
rum gestarum circa *Tauromenium* series.

De nomine ex Diodoro jam dixi. Fabulosum
hinc ethymon illud habeas in S. Pancratii Actis a
Tauro viro, & *Mena* uxore deductum; nec deferen-
dum

dum Fazello, ubi ait: *Dicta est igitur Tauromenium quasi Tauri fortitudo; nam Menos Græcè Fortitudo, sive Robur est Latine.* Nec denique Vibius Sequester, qui ab amne *Tauromenio* opidum denominatum adstruit, audiendus; non enim a flumine opidum, sed flumen ab opido nomen traxit. De Veterum monumentis idem Fazellus hæc protulit. *In ea urbis veteris parte, quæ adhuc extat, priscorum monumentorum reliquiæ plures visuntur.* Sed cur reliquias dixerim, quum per insulam pene totam, modo Segestæ Templum excipias, alia vix occurrant, ita magnæ sui parte integra ædificia, eaque magnificentissimæ. Et Theatrum, vulgi voce Colosseum, ubi collis conspicuus surgit orientem versus, antequam ex Messana urbem ingrediaris, lateritium, & coctile, quod spectat, gradus ostendit integros, podium, & scenam, columnis olim in externo ambitu ornatam, quæ concinnando majori Templo inde sublata, ex substructionibus supra xl. fuisse putantur. Per integram scenæ faciem angustus fornix extenditur, veluti cunicularis, unius hominis capax, rimasque habet per intervalla. Stylobates duo hinc, atque illinc in eadem scena assurgunt, quæ tota constratur lapide. Ad extremam opidi in austrum oram Numachiæ latus omni ex parte intactum, cum arcuatis loculamentis, & cadurcis perseverat, sed lateris alterius nonnisi substructiones videntur. *Aream Capituli Hortum* appellant, quæ ferendis oleribus inservit. Supra Naumachiam Aquæductus rudera media urbe se offerunt; imminent vero suprema in regione testudinatæ Cisternæ, uti Fazellus appellat, vulgo *Stagnones*, Conceptacula. Ego dixerim, Vitruvio *Castella*, in ea quippe aquæ ex variis fontibus derivatæ, inde distribuebantur.

tur. Duo recognovit idem Fazellus, quorum alterum viii. cementitiis columnis subnixum palmos in longitudinem cxxx. in latitudinem xxxvi. ac totidem pene in profundum patet. Sed omnino iv. Ego adverti, sub Capuccinorum cœnobio unum, & alia paullo infra, quæ hodie labefactata, ejusdem pene cum primo sunt magnitudinis. Hæc aquas olim excipiebant discriminatim, quæ simul conjunctæ in *Naumachiam* corrivabantur.

His *Gymnasium* addendum, sed loci prorsus incogniti, de quo nos admonet lapis Græcis inscriptus literis, sed minori forma, graphio exaratis, quem in Additionibus ad I. Fazelli Decadem ex integro retuli, quibusdam tamen in lineis mancum; graphium enim quum profunde non expresserit, temporis decursu notæ evanuerunt. In ea sub *Gymnasiarchis*, ni fallor, ix. adolescentes complures agones, sive certamina xxxviii. iniisse, victoresque olei cados in præmium suscepisse enunciatur. Diu in SS. Petri & Pauli lapis servatus, Blasio Spuches S. Stephani Duci cessit, in cujus Museo illum post Fazelli editionem legi.

Jam vero *Scrinium* ejusdem, & *Talismanum*, sive *Basilidensium Hæreticorum* numisma claudit, & numos aureum unum, alterum argenteum minimi moduli, qui apud *Parutam* desiderantur, ostentat; *Æreos* enim hic num: xix. edidit tantum; Addidit xx. *Avercampus*, qui argentei *Consularis Sexti Pompei* capite, ac *Tauromenii* nomine cum typo *Spei navi* insistentis signati meminit. Ex *Æreis* porro *Parutæ* vi. cum tripode, iii. cum lyra, & juvenili facie lauro præcinctæ, in *Apollinis Archagetæ Naxiorum* primum, exinde *Tauromenitanorum* tutela-
ris

ris honorem cusi, dubio procul dicendi. Minotaurus & Noctua in aliis de Cretensium, & Atheniensium colonia aliquid innunt; nam Theocles Naxi author genere Atheniensis fuit; Cretenses post mortem Minois per insulam effusi, *Tauromenii* confedisse, passim ex hoc typo traduntur. Botrus ad *Tauromenitana* vina, atque ad uvam Eugeniã Plinio celebratam alludit; Aquila ad Jovem, cujus est vultus in altera numi area; Bos cornipeta colonie ab Augusto deducte symbolum est, sed in nostro Museo cum hujusmodi Bove IV. sunt diversae magnitudinis, ac ineditum insuper cum typo Pegasi, ac inscriptione TAU-POMENITAN in postica habemus, in antica vero facie cum galeato capite Minervae, quod in aliis ejusdem urbis numis cum noctua, sed sine galea occurrit.

Viri Illustres ob sanctimoniam S. Maximus III. post Pancratium Episcopus, cujus anniversariam memoriam *Tauromenitana* Ecclesia XII. Januarii die colit. Hunc ejusdem S. Pancratii successorem B. Apostolum Petrum, quum per eam urbem iter haberet, uti tradunt, ordinasse perhibet Metaphrastes; at enim II. Pontifex Evagrius fuit. S. Nico sub Decio *Tauromenitanæ* Ecclesie clavum tenebat, & una cum cxcix. discipulis Martyrium fecit sub die xxiii. Martii. In S. Niconem extat hymus Josephi Siculi Hymnographi. S. Procopius ultimus sedem patriam conscendit, atque a Sarracenis in odium Fidei peremptus, socios habuit e suo grege complures. Inter S. Pancratii discipulas Benedicti, antea Chryse appellata, & Dianæ Sacerdos, ad fidem illius prædicatione, & miraculis conversa, atque a lepræ morbo sanata in Actis Vitæ memoratur; itemque Maria, & Seia sorores, quas urbis Præfectus varie & incassum

tentatas, martyrio affecit. Neophitus tandem Diaconus moribus, & doctrina eximius, cujus anima in columbæ specie ad Coelum evolare visa est. Laudat Cajetanus Æsiam, Susannam, & Zenaidem Virgines, quibus fides ad martyrium gradus fecit, sed quonam tempore floruerint, incertum habet. Tertullo Siciliae Consulari, uti per omnem pene insulam complures pro Christo morte affectos scimus, ita & *Tauromenii*. Ea enim in urbe perstitit ille aliquando, suæque immanitatis vestigia ibi non semel reliquit. Sporus, & Cornelianus cum aliis *lx. Tauromenii* quoque pro Fide coronati decus auxerunt; sed tempus incertum, dies licet Julii viii. illorum martyrio designetur. Actalus Abbas, & Lucas Monachus florere feris temporibus; illius memoria in Chronico Benedictino, teste Cajetano extat, ubi Monasterii *Tauromenitani* Abbas dicitur. Alterius Græca Menæa meminere, & apud Ætnæ montem solitariam illum vitam egisse, socios subinde *xii.* congregasse, tandemque Corinthum delatū, ibi sanctè excessisse affirmant. Daniel S. Basilii Monachus, Eliæ viri pietate clarissimi assecla, Ennæ diu solitarius incoluit, ubi sancto fine quievit. Cherubinus Minaudo ex Minoribus Observantibus, morum innocentia, & sanctæ conversationis exemplis clarissimus, cujus corpus adhuc integrum in arca apud suos asservatur.

Theophanes Cerameus Sanctitate, doctrina, & Archiepiscopali dignitate insignis, patriam suam *Tauromenium* appellat homil: 50. de S. Andrea, & Gregorius etiam est dictus, uti Mongitorius ex Scorso docet, contra Pirrum, Passevinum, & alios, qui Theophanem a Gregorio distinguunt. Vixit in S. Andreae Monasterio ad Mascalas, hodie de Milo, ubi vitæ
san-

sanctimonia ac sacra eloquentia excelluit, unde ad pontificiam patriæ Cathedram evectus, majoribus longe virtutibus effulsit, ac inter eximios Deiparæ cultores excelluit. Floruit sæculo ix. Laudatur ab omnibus, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agunt; ex iis enim unus & non ignobilis merito censetur. Evagrius S. Pancratii primi *Tauromenitani* Episcopi discipulus, successor, ac vitæ scriptor, a S. Petro Romæ ordinatus rexit patriam Ecclesiam, floruitque circa xlv. Christi ann: ex Mongitore in Bibliotheca. Reliquos, quorum extat memoria, Episcopos, cives inter annumerare non ambigo, Rogatum nempe, Victorinum, Justum, Petrum, Joannem, & Zacchariam Cophum, qui Legatum Photii ad Rom: Pont: egit, ac Archiepiscopi dignitate auctus effulsit; Veteri enim more passim ad Cathedras pontificias, præstantiores in coetu Ecclesiastico cives elevabantur. De his consule Pirrum lib: 2. Not: 1.

Nostra ætate Joannes de Joanne patriam decoravit; Canonicus enim Metropolitanæ Ecclesiæ Panormi, S. Mariæ de Terrana Abbas, & Regiæ Monarchiæ Judex, uti dicitur, Apostolicus nempe Legatus inclaruit; Ingenio, eruditione, moribus, ac eximia in rebus agendis prudentia, egregium sibi nomen comparavit. Ejus sunt typis edita opera: *Sicilia Diplomatica*, *de Siculæ Ecclesiæ Ritibus*, *de Hebreorum in Sicilia Statu*, quorū præsidio ejus numquā memoria in orbe literario interibit. Decessit sexagenario major mdccliii. Franciscus Rainerius S. Annæ de Portellis Abbas, Monregalensis Ecclesiæ Archidiaconus, ejusdemque, sede vacante Vicarius. Thomas Amorofus S. T. D. Augustinianus, summus Theologus, & Orator, nec semel Provinciæ Rector. Joannes Franciscus Rao

jam ab anno MDLII. M. R. C. Judex, subindeque integerrimus ad xxx. pene annos Præses. Blasius de Spuches Gaggis, & Lilius dominus, eximius Caussarum Patronus, M. R. C. Judex, a Rationibus Regiis Magister, tandemque publici Ærarii Præses. Franciscus Paladinus inter primos in legali foro oratores, ac primis etiam in eo gradibus perfunctus, Rationum denique Regiarum Magister. Commendantur in Bibliotheca Mongitoris Sebastianus Ordinis Prædicatorum, ob erudita in universam Philosophiam commentaria; quo nomine a Scriptoribus ejusdem instituti præclaris viris accensetur; Georgius Fichera Rhetor, & Poeta; Josephus Capri Sacerdos gravioribus scientiis imbutus, & Thomas Carunia politioribus literis adductus, qui editis ingenii monumentis, typisque vulgaris innotuerunt. Vixit paucis ab hinc Dominicus Leo Sacerdos, qui de S. Pancratii primatu in Sicilia scripsit, suamque opinionem contra varios impugnatores defendit.

Supereft de Veteribus *Tauromenitanis* nonnulla promere. Horum primus Andromachus, quem Patriæ alterum veluti authorem deprædicant; Naxiorum quippe exulum reliquias, uti vidimus, collegit, sedesque illis attribuit. Virum præterea divitiis, & animi splendore excellentem, Timæi Historici celeberrimi patrem Diodorus vulgavit. Plutarchus longe optimum, qui in Sicilia dominabantur, deprædicat, in cives suos legitimè, ac justè imperitantem, omnibus denique tyrannis, infestum, & alienum. Phileas summus Machinator, qui, teste Athenæo lib: 5. Hieronis navem, veteribus a magnitudine celebratam, in mare quàm facillimè deduxit. Timæus denique Historicus scripsit Siciliae, & Italiae res gestas libris xx. Longe eruditissimus

tissimus Goltzio dicitur, & ipsa verborum compositione non impolitus, rerumque, & sententiarum varietate copiosissimus. Epithimæi autem cognomine donatus fuit, quod laceffendo non Platoni, non ipsi Thucydidi pepercerit. Eum Agathocles Tyrannus Sicilia ejecit, quumque de vivo ulcisci se Timæus non posset, mortuum omni contumeliarum genere scriptis suis lacerasse dicitur. De Naxo, & Archageta suis locis egi. Tauromenii longitudo grad: xxxix. v. latitudo xxxvii. xlv. definitur.

TAURUS Mons, cui Tauromenium infidet, a quo & nomen mutuatur, Ætnæ ramentum Goltzio creditur; sed enim hujus pene radicibus quamvis jungatur, valles aliquot inter utrumque intercedunt, per quas Onobola fluvius excurrit. Ab austro, ortu, & aquilone præruptus, & asper, perpetuis rupibus compingitur, quæ in mare subjectum declives, in altissimum elatæ præcipitium difficillime adiri possunt. Ab occasu denique aliis adjunctus collibus, in mediterranea tendit. Supremum ejus occupat verticem Mola opidulum, australia, & ortiva latera Tauromenium; ad radices opida complura, de quibus omnibus dixi. Circa vallem denique ad meridiem fluentum populis arboribus longo tractu ad maris usque oram luxurians, decurrit, quod a Viridariis appellatur, & vulgari voce a *Giardinis*, de quorum vico cognomine inferius.

TEMPLUM DIANÆ Facellinæ. Vide *Fanum Dianæ*.

TEMPLUM VULCANI in Ætna. Consule *Vulcani Fanum*.

THAURIANUM Casale. Vide *Taurianum*.

THALIÆ Scrobs sub S. Joannis de Galermo
T. III. P. II. L I 2 Ec

Ecclesia, Blanditio teste adhuc hodie aperitur. Vide *Galermus*.

S. THECLÆ Sinus ad Acim, ejusque littus, & Mascalarum oram spectat; cujus sunt promontoria illud Molendinorum in austrum, in aquilonem vero Schifon.

THERASIA Infula, aliis *Thermiffa*, hodieque *Vulcania*, de qua inferius.

THERONIS Vicus Messanæ ad hibernum occasum, conspicuus, & elevatus, sub arce Gonsaga, mensibus sæculo xvi. conclusus, cui Societatis Jesu Probationis Domus ædificiis nobilis insidet.

S. THEODORUS Opidulum, Principatus titulo hodie clarum in tumulo sedet supra Cesarum, ad Ætnæ montis radices in aquilonem cum Parochia cognomine, & altera subjecta Ecclesia, Sacerdoti ab Archiepiscopo Messanensi commissa. Lares computat 78. animas in Censu de anno mcccxiii. 298. hodie 456. alia enim descriptio in Regiis libris non elucet. Juris erat sub Friderico II. Nobilis *Jacobi de Mustacio*, sub Martino vero *Paulus de Campolo* obtinebat. Elapsi sæculi anno xxxiii. *Jacobus Campulus* S. Theodori Marchio dicitur. *Didacus Brunacinus* Petri Francisci nepos (Hic Messanæ domicilium fixit, e Florentia delatus) Caroli II. privilegio anno mdclxxxvii. Princeps S. Theodori primus constituitur. Fuit a Regiis Rationibus Magister, ac Juris-Consultissimus, atque ex Anna Ruba *Jacobum* obtinuit, ex quo *Didacus* in vivis agens.

THORAX Mons Diodoro lib: 12. memoratus. Cluverius certum non indicat situm, a dextra tamen Longani amnis ripa, quem esse hodie *Castri Regalis* jam in superioribus adnotavi, in Mylensi campo efferr

ferri conjectat; huic enim campo continui imminet colles. Ducens quippe contra Mamertinos Hiero II. ad Lētanum, sive Longanum amnem confedisſe dicitur ab Historico. *Huic objecerunt*, proſequitur Diodorus, *copias ſuas Mamertini, Duce Cio, qui diſtributis in ordinem copiis, amnem tranſire conatur; At Hiero cc. exules Meſſanenſes in commilitio habens, quibus alios cccc. ex delectu adjungit, vicinum montem Thoracem eos circumire jubet, ita ut hoſtibus a tergo incumbere; ipſe diſpoſito in ordinem exercitu a fronte occurrit. Ex quibus non inanes Cluverii conjecturas dixeris.*

THUSA Opidum ad oram inſulæ ſeptentrionalem bis paſſ. v. a mari, in colle ſitum; vetuſtæ Aleſæ ruderibus md. inde paſſibus imminet, atque ex ejus reliquiis coaluiſſe creditur. Licet aliter Maurolycus, & Fazellus ſentiant, uti mox videbimus. Pirrus duos inter fluvios conſtitutum, Alæſum ſcilicet, hodie Pethinei, ac Monalim, ſeu Pollinæ, eique nobilem arcem, ac frumenii emporium ſubefſe affirmat; atque ad Vigintimillios Hieracenſes Marchiones ſpectare dicit cum laribus 797. accolisque 3126. Celebre hinc, & ex primariis hac in regione computatur; & quod in eo jus gladii dynaſtis ſit nullum, præ cæteris ſuperbit. Unica Parochia Deiparæ in Coelum, Aſſumptæ ſacra, Curioni Cephalædenſis Epilcopi vices gerenti commiſſa, & minoribus viii. ſuffraganeis gloriatur. Eſt illa ſatis elegans, & communi Preſbyterorum cętu inſtructa, circa ſupremas ſedet opidi oras, quod leviter declive in occaſum vergit; ac civilibus variis ædibus nobile, eminus ſeſe oſtentat. Inter ſacras, præter majorem, S. Salvatoris, Auguſtini-anorum Cęnobium, Hieracenſium Marchionum muniſcentia

ficentia anno MDXXX. conditum, distinguitur, in cuius Ecclesia Christi Domini ad columnam devincti simulacrum speciali religione incolæ venerantur. Laudatus Pirrus Franciscanis Conventualibus datum esse MDLXI. locum S. Michaelis primum, & post biennium S. Leonardi, demumque Ecclesiam sub titulo Nominis Jesu, evulgat, sed apud Cagliolam Conventus huius notitia desideratur. Capuccini in S. Nominis Jesu memorata, MDLXIII. ex Pirro, principio constituti, mox Joannis Mariæ de Thusa opera ad jactum lapidis sub opido laxiorem nacti situm MDLXXII. uti Annales Ordinis habent, decens Monasterium incoluere. Vetus pro sacris Virginibus sub S. Benedicti regula parthenon in Gregorii Gratterii Sacerdotis ædibus coaluit, & S. Mariæ de Ritu, forte de Laureto, titulo insignis hodie viget, ab alumnarum religioso vivendi more commendatus. Domum denique Hospitalem, & Pietatis montem in SS. Trinitatis Ecclesia memorant.

Perantiquum S. Georgii Benedictinum Monasterium apud *Thusam*, celebris SS. Trinitatis Miletæ Abbatæ suffraganeum, subindeque S. Anastasiæ Castelliboni Prioratui adnexum, Nicolai IV. Rom: Pont: literæ MCCCCLIV. recensent, cuius hodie sola perstat Ecclesia. S. Mariæ de Palatis alterum in agro *Thuse* proximo, Paestensi Ecclesiæ subiecto, adhuc hodie ex ruinis cognoscitur, estque sacra illius ædes in magno apud incolas cultu; Die enim Annunciationis Dei paræ ad eam ingenti frequentia ex viciniis etiam Christifideles deferuntur, ad peccatorum veniam assequendam, ab antiquis temporibus, uti credunt indultam. Attribuit anno MCXXXIV. Rogerius Rex Paestensi Cœnobio agrum illum. An huius vero Monachi subinde cellas ibi ædificaverint, an pridem constitutas

stitutas invenerint, non habeo. Sacerdotium est hodie, uti vocant, simplex, quod a Paetensi Episcopo confertur. Veteres inscriptos lapides, qui in eadem Ecclesia visuntur, Gabriel Lancellottus Castellus in sua de Alesa eruditissima Historia, alibi laudata, refert; ad hanc enim urbem spectabant. Tertium denique S. Mariæ de Alto Plano, Cisterciensis instituti, in agro Thusano Guarneria Hieracis Comitissa liberalissimè fundavit, moxque mxcv. alteri ejusdem ordinis S. Spiritus Panormi unitum voluit. Utrumque hodie Magno Panormitano Valetudinario obnoxium est, & sola antiqua sacra ædes cum circumjacentibus diruti Monasterii reliquiis perdurat.

In Martini Regis Censu mccccviii. *Joannes de Vigintimilliis*, veluti Hieracensis Comitatus partem, *Thusam* Superiorem, & Inferiorem obtinebat, cujus hæredes ad annum mdclxix. *Thusæ* domini audierunt. Tunc enim soluto pretio *Horatius Torre* ab *Joanne Marchione* emit. Fulsit hic Princeps Turris, quam dignitatem Franciscus ejus pater, Philippi IV. rescripto, ante quinquennium fuerat assecutus; Regni xii. Vir, in Italiæ Consilio apud Matritum Regens, & in Sicilia M. R. C. Præses, Magistri Justitiarum Locumtenens, habuitque ab Eleonora Gervasia uxore filium *Alexandrum* a Regiis Rationibus Magistrum. Ex quo & Melchiora Morteaperto *Horatius* hodie Princeps, qui alieno ære gravatus, *Thusæ* dominium *Herculi Brancifortio* resignavit, cui *Thusenses* vivunt, dum hæc scribo, obnoxii. Locus est illi in Regni Comitibus, uti *Thusæ* Baroni, xlv. Ad Comarchiam Mistrettensem spectat, & S. Philadelphi militarem Præfecturam; Censebantur lares Carolo V. imperante 574. anno mdxcvi animæ 3477. In novissima descriptione

MDCCLXIII. foci 851. animæ 3247. hodie 3412. Longitudo mensuratur grad: xxxviii. latitudo totidem. Statua in *Thusa* foro basi imposita spectatur e marmore viri Consularis, uti ex insignibus apparet, inter Alesæ rudera superiori ætate reperta, de qua laudatus Castellus.

Illustratur *Thusa* Joanne Maria Majore totius Ordinis Capuccinorum Generali Ministro, gestis summa cum laude aliis muneribus, vitæ sanctimonia, & sacrarum literarum peritia claro; Gregorio XIII. aliisque principibus viris acceptissimo, Romæ demum summa cum pietate vita functo MDLIV. Salvatore Guglioso S. Augustini asceta vitæ perfectione insigni, & magna virtutis opinione in patria mortuo MDCIX. Salvatore Muglio Laico Capuccino, qui humili loco natus, licet literas numquam didicisset, Dei beneficio, assiduo orationis studio, & latinè loqui, & S. Scripturæ abditissimos sensus penetrare novit, Dei paræ additissimus, in cujus precibus recitandis, Catanæ dum ægrotaret, Cœlestes Spiritus habuit adjutores; Divina sepiissime passus, prophetico spiritu imbutus, Messanæ MDCXVIII. diem supremum obiit. In Sicula Bibliot. memoria extat Antonini de Michaelè, qui de rebus musicis scripsit.

Ex Alesæ reliquiis Cluverius, aliique *Thusam* habuisse originem tradunt, quibus libenter adhæsi; id enim novissime Gabriel Lancellottus Castellus Turris Mutiæ Princeps uberrime ostendit, remque omnino confecit. At enim non pigeat Maurolyci, & Fazellî sententias adjicere. Hic quippe Halicyam, ubi hodie *Thusa*, stetit olim tradit; alter Tiffam. Et sane si quis Halicyam, veteribus Halysam, in Sicania, uti ostendi Tom: 2. part: 1. locatam, huc deduceret, ineptissime

ptissime loqui putaretur, sin vero alteram in Sicilia Halicyam cum Fazello apud *Thusam*, nulla antiqui scriptoris vel levi auctoritate inducerent, haud minus incongruenter opinaretur; quod alibi expendi. De Tissa cogitans Maurolycus, nominis affinitate deceptus, leviori censura planè dignus, quod ad ejus forte notitiam nil de inventis lapidibus pervenit, aut non omnes certe innotuere; & Tissæ situs aliunde incertus, juxta ea, quæ brevi edisseram.

THUSÆ Arx ad subjectum opido littus cum Emporio, prominenti in mare rupi insidet, operibus munita, atque incendiariis ballistis instructa. Eadem est littoris specula. Parvum esse Emporium sub ea, ad quod naves appellunt onerariæ, Tullio memoratum, satis de Alesâ loquens, indicavi; quamvis alibi in meis ad Fazellum Notis Portum, uti vulgus habet, appellaverim.

TIMETHUS Fluvius inter Agathyrnum, & Tynëdarim Ptolemæo memoratur, huic autem opido propinquior. Ex Fazelli mente Pactarum est amnis, de quo suo loco. At quum ille apud Pactas fluviolus minor sit, quam quem inter longe majores amnes Ptolemæus recensere voluerit, illud potius intellexisse flumen Geographum, quod vulgo nunc dicitur *Nasi*, valde credibile est, uti Cluverius adnotavit. Consule *Nasi Fluvius*.

TISSA Vetus opidum incerti situs; Nam Maurolycus apud *Thusam* locat; Cluverius cum Mario Nigro suspectum in ejus locum Randatium conjectat; ad *Ætnam* enim montem statuitur Ptolemæo. Ejus meminit Silius, exiguumque appellat: *Et parvo nomine Tissæ*. Stephani Epitomator idcirco opidulum evulgat, ejusque gentiles *Tissæos*, quos Cicero *Tissæ-*

ses, & Plinius lib: 3. cap: 8. Tiffinenses vocat. Tullii porro verba in Verr: 3. sunt: A Tiffensibus per parva, & tenui civitate, & aratoribus laboriosissimis, frugalissimisque hominibus, nonne plus lucri eripitur, quàm quantum frumenti omnino exaraverunt?

TORTORICIS Civitas Regii juris, Victricis titulo donata; in Messanensi Dioecesi a tergo Orlandi capitis pass. m. xii. atque idcirco mediterranea; amenissimè vallis leve occupans declive, ortum, occasum, & aquilonem respicit; fluentisque adsita, eorundem alluvionibus sæpissime idcirco obnoxia, antiquam vix hodie faciem ostentat. Anno enim MDCLXXXII. ex ingenti pluvia illorum aquis excrescentibus, non levi mortalium excidio, ædificiorumque, ac bonorum jactura, præcipuæ illius regiones cum majori Templo, & parochiali altero in vastitatem abierunt; tum decurrentis sæculi anno LIV. pernicie, ac clade pene non absimili affecta, tantum non periit; hodie vero majori ex parte instaurari cæpta in veterem splendorem restituitur. Et sane, quum per eandem vallem, quam colles undique circumambiunt, torrentes tres decurrant, eorumque unus supra, alter medio ipso opido adjungatur tertio præ aliis rapido, & tumidiori; fit inde, uti exuberantes ex vario confluxu aquas alveus capiat nullus; Hunc aliunde ipsè torrentum aquæ, novis secum tractis lapidum, & arenæ massis continuo cumulant, ac replent, adeoque quò magis hostem cives fugiant, eò magis perniciosum, infestumque experiantur. Assurgit nihilominus hodie major parochialis Ecclesia opportuniori loco, Assumptæ Virginis nomine insignita, sedesque Archipresbyteri, qui unicus est Parochus, audit, in qua S. Sebastiani sacellum, Civium singularis Patroni, elegans spe-

ſpectatur, feſtusque dies ingenti cum pompa, publiciſque nundinis xx. Januarii die, ac ſequentibus celebratur. Huic ſocia, nam de primatu diu contendit, S. Nicolai reſpondet, quæ Canonico Collegio ab anno m̄dclxiii. Matthæi Calà Sacerdotis opera conſtituto, alumnis primariis ix. ac dignitatibus, uti vocant iv. conflato, inſignibusque denique, choralis etiam Cappæ exornato, inſtruitur. Hanc Græcos olim poſſediſſe evulgant, & adminiſtrandis hodie populo Sacramentis deſtinatam volunt. Tertia Ss. Salvatoris titulo, Parochiales quoque habet prærogativas, ſed Archipreſbytero etiam ſubmittitur.

Duæ porro primariae illæ magnificentè olim extructæ, cum æris campani turribus, proſpectuque elegantiffimo ſpectabantur; ſed magna aquarum vi, uti innui, m̄dclxxxii. die vi. Junii, & novo rurfus impetu m̄dccliv. concuſſæ, atque in præceps actæ, præſtantiori forma reparatæ hodie ſubriguntur, S. Nicolai vel maxime, cui concinnandæ operam omnem Canonici conferunt. S. Spiritus Prioratus, Romano immediate ſubjectus, qui jacturam cum aliis eſt paſſus, ædes adjunctas pauperibus peregrinis excipientis deſtinatas habet, variis que privilegiis decoratur. Minores Conventuales medio circiter xv. ſæculo, S. Mariæ Eccleſiam in *ſumaria* habuere, ibique diu manſerunt; ſed anno poſtmodum m̄dcii. ad ſuperiora migrantes, S. Franciſci nomine ſplendidam excitaverunt Eccleſiam, ſtatuſque, columniſque inſignem, fronte, ac æris campani turri conſpicuam, quæ cum Conventu fatiſ congruo perſeverat, ubi Philoſophiæ, & ſacræ Scientiæ publicæ vigent Scholæ. At Capuccinis ſemel, & iterum illuvies non pepercit; ſitu idcirco aptiori hodie, civium eleemoſynis, novum moliuntur Cœ-

nobium, veteri omnino, quod anno MDLIX. coaluerat, ruinis jam obruto, derelicto. Moniales Virginis Annunciatæ titulo, sub S. Claræ institutis ab an: MDCVI. originem recognoscentes, ubi periculum claustro impendere adverterunt, LIII. hujus sæculi anno in supremas ad aquilonem oras, ædes magnificas nactæ, se contulere; insequenti mox, quod timebant, quum evenisset, non sine Numinis providentia, perniciem evaserunt. Jacet antiquum; in novo Cœnobio, quod eleganter nitet, degunt illæ regularis vitæ studiis intentæ.

Erant civilia ædificia decentissima; sed quum & ipsa cum sacris, in præcipuis opidi regionibus Spiritus Sancti, & Musarræ in vastitatem abiissent, passim alibi restituta humili forma videntur, quæ aliis in vicis coeterò perseverant, ad omnem venustatem assurgunt. Arcis nomen in superiori clivo non interit; ubi tamen nonnisi vestigia spectantur. Perstat in foro eximia Caroli II. Regis ex ære fuso statua, civium laudabili contentione, expensisque publicis erecta. Magistratus Curatoribus IV. constat, votumque profert in Comitibus XLII. Syndico, & Criminum Quæstore consociatus cum Clavariis procedit; Quæstori Judices adsciscuntur, quorum tamen Tribunal de vita, & morte non judicat. Regius Procurator, ac alii insuper Administri, qui suis invigilant obcundis muniis, non desunt; Regimen idcirco juxta provinciæ statuta illi respondet omnino, quod in Regiis aliis Civitatibus usurpatur. Messanenſi Archiepiscopo Clerus subditur; ejusque Vicarium habet in foro moderatorem. Comarchiæ caput Tortoricis, opida XIV. sub se habet, ac S. Philadelphi militiæ urbanæ Instructoerum recognoscit; ejus sunt insignia Binę Tur-
tures

tures Nucum arboribus insidentes. Sub Carolo Cæsare lares numerabat 987. incolas 3041. sæculo xvii. jam sub *Demanio* constituta, recensuit focos 980. animas 4193. Anno dcccxiii. post alluvionem focos 469. animas 1477. quæ hodie 3040. computantur. Situ quo ad geographicas dimensiones respondet grad: xxxviii. xxx. longitudinis, & latitudinis gradui xxxviii. x.

De conditu civitatis incerta proferuntur; vetustæ enim ætatis monumenta passim deteguntur, sed apud Scriptores, quum de ejus nomine memoria extet nulla, qualis olim fuerit ex tot illis insule obscuri situs, divinare non ausim. In Messanensis Diocæsis recensione sæculo xi. *Turris Tudit* fit mentio; *Turris Oricis* fuisse urbi vocabulum affirmant nonnulli; Sarracenorum cœterò tempora præcessisse tradunt, ac sub illis non incelebrem evulgant. Sæculi xiii. anno xx, *Guidonem de Polichino* Friderici Cæsaris liberalitate *Tortoricim*, ejusque arcem accepisse invenio. Insequenti anno item xx. in Friderici II. Censu *Theodorus Polichinus* pro *Tortorici* aureos xc. Curie solvebat. Subinde Fridericus III. *Polichinis* infensus, oppidi dominum *Vinciguerram Aragonium* dixit anno ejusdem sæculi lxxi. Martinus autem hujus nominis I. malè a *Polichinis* distractum, & *Aragoniis* addictum decreto suo sanxit, ac *Rogero Polichino* anno mcccxcviii. restituit. *Fridericus Rogerii* filius *Agnetem* a se genitam *Friderico Montecatino* in matrimonium collocavit, ac dotis nomine *Tortoricim* attribuit. Ab hujus hærede, congruo exsoluto pretio, merum, mixtumque Imperium, uti appellant, mxxlvii. cives sibi vindicarunt, Regiisque Consularibus addixere. Anno mdxcv. *Fridericus Moncada*, alterius nepos, pecunia accepta, *Aloysia Mastrilla*, & *Corbera Nola*
ori-

oriundæ Opidum resignavit, quæ Marchionatus titulum mdcix. sibi conquiſivit, eūque ad heredes tranſmiſit. Tunc in Regium cooptari *Demanium* Cives enixè poſtulantes, adverſarium in foro, celeberrimum Garſiam Maſtrillum habuere, *Aloyſia* filium, qui matris jura ſtrenuè propugnavit, & orationem pro ea ſingularem typis edidit. Obtinuerunt nihilominus *Tortoretani* mdcxxviii. atque *Aloyſia* pretium opidi reddentes, aliis Regiis Civitatibus accenſi ſunt.

De *Tortoricio* Fazellus: *Eſt poſtea ad iv. paſſ. millia a Galati, in valle profunda, Turturicum opidum, opificibus variis, ſed in primis fabris ferrariis, & Campanariis clarum, quorum opera tota Sicilia diffunduntur.* Et ſane nullum æs campanum, quod non fuerit a *Tortoretanis* fuſum, per inſulam, & in proxima etiam Calabria invenies. Organis præterea conficiendis eximiis vacant, aliisque operibus cupri, & ſtamni. Hinc *Æraria* officina, vulgo *Martinettum* celebratur, ubi ex ære laminæ conflantur, quas tota etiam Sicilia venum ire videmus. Commendant Antonium Thomafium non vulgarem Pictorem, cujus paſſim tabulæ in pretio habentur. Decoratur hodie Cajetano Galbato, Amatenti Epifcopo, Collegialis patriæ Eccleſiæ S. Nicolai Archidiacono, moribus, & ſcientia conſpicuo. Laudat Mongitorius in Bibliotheca Vincentium de Judice Juris-Conſul: ab antiquioribus literis inſignem. Ager ad paſſ. m. xviii. patens frugibus dives, vina, fructus, nuces vel maxime avellanas, ac paſcua ſuppeditat, ac venatoribus aptiſſimus evadit. De *Tortoricis* flumine conſule *Zappulla*.

TRABBIPRINUM Caſale S. Mariæ de Valle Joſaphat, & S. Mariæ Magdalenæ Monafterio illius ſuffraganeo a Guillelmo II. Rege mclxxxviii. conſeſſum, ſitus incerti.

TRA-

TRABILIS Cafale, quod Rogerius Rex, & Urbanus II. suis literis, Ecclesiæ Troynensi attributum ab Rogerio Comite testantur. Locus ignoratur.

TRAPETUM sub Ætna monte supra Catanam, ad septentriones, opidulum. Quod *Massa Trapetos* fuerit in S. Gregorii Rom: Pont: Epistolis memorata, nonnulli tradunt, & alibi Ego innui. Erat elapso seculo ex municipiis Catanæ. Obtinuit cum aliis *Christopharus Massa Castellii* Acis Comes, & Dux, qui uti ejusdem Baro in Regni Conventu locum LXII. occupat. Parochialis Ecclesiæ Divus tutelaris S. Rochus; incolarum Patrona Deipara de Rosario. Amplo utitur territorio; ad Acis spectat Comarchiam; laribusque conflatur 42. cum incolis 174. hodie 239. Ultra majorem duæ sunt in ejus finibus filiales Ecclesiæ.

TRECASTANÆ Opidum Ætnæ radicibus adsitum, Catanâ ad pass. m. x. abscedens in aquilonem, atque ex ejusdem olim municipiis, Principatus hodie tessera clarum, dudum ad *Joannes*, nunc ad *Alfiatas* pertinet, quos supra de Pedara loquens, laudavi. Major Parochialis Ecclesia S. Nicolao Episcopo sacra cum Canonico Collegio, & Archipresbytero, editum, conspicuumque in tota circum regione occupat collem; magnificentiam præfert, ac æris campani turri ornatur. SS. Fratrum Alphii, Philadelphi, & Cyrini Martyrum patrocinio incolæ gloriantur, quorum festivus dies x. Maji cum nundinis celeberrimus vicinis etiam populis habetur; sacra vero ædes ad extremas circa septentriones oras non inelegans, ministrandis Sacramentis etiam deputatur. Minores Reformati ab anno MDC LX... sub S. Antonini titulo decens Cœnobium incolunt; pro Virginibus pau-

paupertate pressis custodiendis, Parthenon sub Deiparę Immaculatę Conceptionis auspiciis spectatur; minores Ecclesię VII. incolarum fovent pietatem; Dynastię demum palatium medio pene opido splendet. Enumerantur foci in ultimo Censu 274. animę 2806. quę novissimę 2972. sunt computatę. Degunt sub Acis Comarchia, & Catanensem Episcopum Pastorem recognoscunt.

Primus Opidi Princeps *Dominicus de Joanne Messanenensis* ex Philippi Regis privilegio MDCXLI. locum in Comitibus XLII. tenuit, qui cum Hieronyma Salvarezzo nuptiis celebratis, auctus est *Scipione*. Hic Miriarum etiam dominus cum Anna Micichea *Dominicum* II. genuit, unde *Anna Maria*, Josepho Aliatę Villęfranchę Principi sacris vinculis adjuncta. Fulget hodie etiam, matris Isabellę Morra, & Cottone jure, Bucherii, & Castri Rai Princeps; Jus gladii habet, Magistratus deligit. Ager circa Ætnę radices colles Rubrum, sterilem omnino, S. Nicolai, Serrę, Gurnę, & Ilcis complectitur, in quibus vineę, pomaria, fructiferę arbores generis diversi, sed præcipuę Nuces, Castanę, unde opido nomen, Quercusque succrescunt, & lætissima pascua proveniunt. Extabat Friderici III. ævo *Trecastraneum* opidum, & forte vicus olim circa ipsum veteri ætate assurgebat, uti ex variis monumentis, ac mortalium sepulchris eruimus. Quod a Tribus Agnis, seu SS. Fratribus memoratis nomen habuerit, fabulis accensendum.

TRES FONTES Vicus ad Forestam opidum spectans, sub Ætnę radicibus ad septentriones.

TRIMOSTERIUM Opidum inter Catanę dudum municipia, ad Ætnę meridianas radices, ab eaque urbe in æstivum occasum pass. M. VII. circiter distans.

diffidens *Massensi* Duci hodie subditur, qui uti ejusdem Baro votum in Regni Consilio LXV. profert, Comprehenditur porro Catanensi Diœcesi, & *Acis Comarchia*, laribusque 315. incolis 1240. constat, qui hodie 1337. describuntur. Parochialis sacra egedes *B. Virgini de Pace* dicata elevato statuitur loco, cui alia subest in vico *Plano*, de quo egi, eidem *Deipare de Gratia* addicta, ubi sacra administrantur, ac minores insuper v. alia variis in vicis, quibus opidum conflatur, parvo intervallo discretis suffragantur. De *Massensibus Ducibus* alibi de *Acis Castello* loquens, dixi. Ducatus *Trimosterii* titulo *Petrus Gregorius* an: MDCXLVII. fuit insignitus; quem ad suos transmisit hæredes, nobilis gentis *Rizzaræ* Catanensis, hodieque *Joannes Rizzarus* Dux appellatur. Emerat *Petrus* opidum, sed cessit idem *Christopharo Missa* una cū aliis conterminis regionis casalibus. Fuit M.R.C. tertium Judex, ac Præses, *S. Jacobi* Eques, & in Hispano Senatu Italiæ Regens, habuitque filiam *Antoniam Francisco Rizzari* sacris vinculis adjunctam, cui Ducis idcirco dignitas accessit. Ex his *Josephus* primis in patria muniis illustris, *Mariæ Notarbartolo* maritus, unde *Franciscus* poesi, eloquentia, aliisque liberalibus scientiis apprimè instructus, ac variis patriæ legationibus perfunctus, unde *Joannes*, *Felicis Paternò* Castello conjugalis thori socius, prole auctus.

TRIMOSTERIUM Messanensis Ditionis municipium, quod cum elegantissimo parochiali Templo, fronte, & turri conspicuo, *S. Dominicæ Virg: & Mar: sacro*, postremum in Dromo, VI. pass. v. ab urbe occurrit. In eo, dum juris esset *Bartholomæi de Luce* fundatum Cisterciense *S. Mariæ Roccamatoris* Monasterium, uti suo loco retuli.

TRIPIS Opidum, *Strepium* Maurolyco, a Sterope Cyclope, Vulcani in *Ætna*, uti fabula docet, ministro appellatum, colli inhæret trifariam divisum. *Tripis* hinc Superior, Medius, & Inferior, in vertice, latere, & radicibus ejusdem spectantur, haud longo tractu inter se diffiti, unius opidi vici. Primus porro arcem ostentat, Dynastę palatium, & parochiale princeps Templum S. Vincentii Mar: titulo, Secundus elegantior, solo in æstivum occasum inclinato, se offert; Tertius in præfluentis amnis alveo extenditur, ubi Carmelitarum Coenobium Deiparę Ordinis tutelari dicatum. In singulis animarum cura uni Archipresbytero incumbit, sub Messanenſi Pontifice, & hujus Vicario Cleri regimen demandatur; Communis Sacerdotum coetus in majori convenit Ecclesia. Minores sacrę ædes xi. enumerantur, quas inter S. Theodori Mar: splendet, unde opidani etiam Sacramenta participant. Unicus est Magistratus civilis ad nutum Baronis, jus gladii habentis; Urbane militiæ cura Pactensi Instructori committitur, & in ejusdem urbis Comarchia locus comprehenditur. Lares sæculo xvi. erant 649. anime 2362. Anno mdclii. lares 827. incolę 3124. Sed in postremo Censu sæculi hujus anno xii. foci 589. cives 1858. descripti leguntur, non levi sane jactura, & novissimè 1993. Agro licet gaudeant feraci, moris, oleis, vineis referto, nec segetibus ingrato, atque aere utantur insigniter sano, est enim longitudo xxxviii. l. latitudo graduum xxxviii. x.

Jam si a Sterope nomen invenit, uti laudatus Maurolycus, ingenio indulgens suo, adstruit, qui a Bronte etiam opidum cognomine, a Pyragmone Pyragmium, altero, & tertio Cyclope dicta vulgavit;

Tripis

Tripis origo vetustissima esset. Spectantur circa ipsum ingentes opidi antiqui ruinae, quas esse Abaceni, Scriptoribus memorati, Cluverius contendit, & Fazellus fusè describit, uti de Abaceno differens Tomi hujus initio ostendi. Sed hæc Abaceni rudera de *Strepis* nomine conjecturas convellunt. Coeterò *Tripis* ante Petrum Aragonensem notitia extat nulla, quæ ad Me forte pervenerit; Eo quippe indulgente *Rogerus Lauris*, Magnus Talassiarcha *Tripis* dominus evasit, qui sub Jacobo, & Friderico etiam floruit; Desciendens autem, bonis in Sicilia privatus *Rogero de Brundulio* Equiti Templario locum cessit; Fuit enim hic ejusdem Friderici munificentia Vice-Amiratus adlectus, & *Tripis* possessione donatus. *Matthæus Palicius* subinde circa mcccxi. obtinuit, qui Noaram simul, Saponaram, & Caroniam obnoxias habebat. Ex eo Isabella Joanni Alagonæ nupta, unde Beatrix, quæ Raymundi Guillelmi Montecatini uxor fuit. Sicilia aliquando excedere *Matthæus* coactus est, ejus idcirco loco *Joannes Infans* opido potitus. Mox ille revocatus rursus obtinuit, ob cujus mortem, Rex sibi *Tripim* adjudicavit. Circa hæc tempora Aloysius Andegavensis Neapolis Princeps, Messanæ agens *Nicolaum Cesarium* sibi faventem *Tripis*, aliisque opidis ac bonis muneravit; sed an illius fuerit *Cesarius* dominium assecutus, incertum habeo.

Martino rerum potente, *Raymundus Guillelmus Montecatinus* jure uxoris Beatricis, de qua supra, opido donari postulavit, atque mcccxcii. obtinuit; At quum ipse, ejusque filius *Matthæus* non diu post ab officiis defecissent, *Aloysio Aragonio* Regii sanguinis Martinus Rex concessit, qui in Censu de anno mcccviii. inter *Feudatarios* recensetur. Ex *Aragoniis*

ad *Villerautos* devenit; celebrantur hinc *Joannes Villeraut* circa mccccxxxviii. Patrię Pater meritò appellatus, Panormi Prætor, & *Ludovicus* ejus filius ob idem munus præclarè gestum insignis, qui circa mccccclxx. vivebat. Tenuit *Fridericus Viginimillius*, a quo *Stephanus Cajetanus* accepit, post hunc *Petrus* illius filius, Cassari etiam dominus. Emit a *Cajetanis Jacobus Antonius Saminati*, & *Porto* mdlxx...unde ad *Marinos* sæculo xvii. devenit *Gualteris* Duces. *Franciscus* ejusdem gentis, *Dominici* filius ex *Anna Grifeo* uxore *Elisabetham* suscepit, cui *Gaspar* avunculus litem intendit, obtinuitque dum vixit. *Gaspare* sine filiis defuncto, *Elisabetha Dominico Grifeo Partanæ* Principi nupta dynastias est assecuta, ex quibus *Benedictus Grifeus*, unde *Hieronimus*. Hic *Ludovico Paratori* vendidit, qui *Pactarum* Princeps, & *Oliveris* dominus *Teresiam Quiros* sibi adjunxit, ac prolis dives ob animi magnitudinem commendatus in vivis agit. *Tripis* Baroni est locus in publico Regni Consilio vii. *Tripis* fluvius cum *Oliverio* conjungitur, eique suas devehendas tradit aquas. Vide *Helicon*; Antiquis enim *Oliverius* amnis *Helicon* dicebatur.

TRIRACIA Vetus Opidum; cum *Trinacia* confunditur a nostris, quæ *Diodoro* memoratur l. 12. ejusque verba alibi retuli; in *Valle Netina* de eodem loquens opido. *Plinius* lib: 3. cap: 8. *Triracenses* populos *Siciliæ* inducit. *Stephanus Tyracina*, ait, *Opidum Siciliæ parvum equidem, sed opulentum. Tyracenum autem id vocat Alexander in Europa*. Alibi de *Randatio* conjecturam expendi eorum, qui illud *Triraciam* olim fuisse evulgant, sive *Tiraciam*.

TRISINA *Casale*, quod cū altero de *Condò* juris

olim fuisse Domus Hospitalis SS. Leonardi, & Angelæ Messanensis, dicit Barberius; sed ab Alphonso utrumque *Joanni de Bonfilio* attributum subjungit ex literis in Castro Neapolis mccccxxiii. Sibi vindicare Margarita de Vigintimilliis, uti Nicolai de Castagna heres contendit, sed inita conventionem liti illa cessit, & Joannes ad suos transmisit. Vide *Condronum*.

TRIZZA Emporium in australi Acis littore, cum Vico, & Dynastæ rurali palatio, in quo magnificentia minime desideratur. Vide *Acis Scopuli*, & *Insula*.

TROYNA Civitas *Vetusta* in Regiis libris appellata, ad extremas Ætnæ montis radices, quæ in occasum protenduntur, spectare videtur; collibus enim insidet haud inde distans, ad eundemque latitudinis gradum cum Ætna, ac longitudinis xxxviii. x. statuitur. Eam fuisse *Trajanopolim*, Ulpiano lib: i. de Censibus celebratam, suspicatus est Fazellus. At enim Juris-Consultus de urbe cognomine in Cilicia loquitur, uti Cluverius adnotavit, & post eum Cajetanus, ipseque hinc Fazellus ea verba delenda jussit, ac in novissima editione a Me adornata deficiunt. Aretius, alique ejusdem erroris participes a Trajano ædificatam, immunem, ac liberam perperam evulgant. Cedrenus, Curopalates *Draginam* vocant, atque ante Sarracenos sub Græcis Imperatoribus floruisse affirmant; Rogerius idcirco Comes a Græcis cultam invenit, a quibus amicè exceptus, uti reponam, ab ea de expugnanda Siciliæ insula, prima sumpsit auspicia. Ad radices porro ejusdem collis circa meridiem perstitisse dicunt, ibi enim parietinæ, ac rudera adhuc hodie spectantur, ubi vero ma-

ior nunc basilica confurgit, veterem olim arcem ædificatam tradunt. Nova quum in jugo extracta videatur, semicirculari figura, majori ex parte in austrum, ortum, atque occasum vergit, suburbium verò in aquilonem respicit.

Majori Ecclesiæ, quam Cathedralem Rogerius Comes constituit, cuique Robertum primum Episcopum, ab Gregorio VII. Rom: Pon: ordinatum, præfici voluit, locus conspicuus ad orientalem plagam designatur; adeo undique campani æris proceræ turris, circa frontis sinistram adfita, spectanda se præbeat. Prætenta area, vulgo *Castelli Balium* appellatur, quòd olim ibi Arx steterit, cujus substructionibus ab eodem Rogerio Basilica Assumptæ in Cælum Virgini sacra, fuit imposita. Eam Archipresbyter, ac Canonici XII. insigniti, Divinis hodie officiis frequentant; estque ille unicus Parochus, variis privilegiis decoratus; Canonici verò, antiquo Collegio substituantur, quod una cū Episcopo Messanam traductum, servat adhuc nomen; inter Messanensis enim Ecclesiæ alumnos Canonici Troynenses memorantur. Cathedram denique Episcopalem illa adhuc, veluti antiquæ dignitatis monumentum, conservat. Jam in vico orientali sub descripto principe templo, quem a *Scalforio* appellant, S. Nicolai surgit Ecclesia cognominis, ejusque centrum circa imas opidi regiones occupat, in qua II. Sacerdotes addiæti Sacramentis ministrandis operam navant. Parochialis altera eidem S. Nicolao sacra, olim S. Mariæ de Valia, a Foro, cui proxime adhæret, nomen mutuatur, ac in suprema ora sedet; unde ad tertiam S. Luciæ titulo insignem descensus patet, quæ occiduum inferiorem vicum satis amplum occupat, & Presbytero sub præcipui Parochi

rochi inspectione, curam animarum habenti, committitur. Inter minores filiales Ecclesias, quæ ultra xxx. censentur, S. Josephi inspectionem meretur, a S. Maria haud procul cum turri.

Ascetarum Monasteria intra pomerium S. Francisci Conventualium unum in clivo post Arcem ad occidentem, & austrum situ licet angustum, Ecclesia, turri, fratrumque domiciliis splendidum viget, ab anno mccccclxx. Licet enim altero circiter sæculo ante, extra in suburbio coaluisset, uti Annales Ordinis habent, loco, & Ecclesia a Monachis S. Michaelis obtentis, quæ dicitur hodie *S. Francisci extra*; opera, tamen Francisci de Robore Generalis tunc Custodis, indeque Pontificis Maximi sub Xisti IV. nomine Troynæ agentis, translata legitur. S. Joannis de Deo Fratrum Hospitalitatis alterum in Divi Andreæ Apostoli Ecclesia subest primario Templo ad ortum, ubi ægrotis consueta pietatis officia impenduntur, quod originẽ elapso sæculo recognovit. Sanctimonialium verò Coenobia assurgunt tria, ædificiorum mole, elegantia in sacris domibus, & splendida earumdem supellectile micantia. S. Georgii Mart: majori basilicæ adjunctum, sub S. Benedicti institutis, antiquissimum, ac ex primaria nobilitate coalescens, cui alterum medio circiter sæculo xiv. S. Stephani ejusdem ordinis adnexum. S. Clare in opposito circa occasum extremo dorso, & S. Mariæ de Angelis tertium, ambo sub S. Francisci legibus, via interposita separantur; in quibus omnibus exactissimæ vitæ monasticæ norma servatur. Extra ad radices opidi australes amplius & vetustus Carmelitarum Conventus, cum Ecclesia Annunciatæ Deiparæ titulum referente, & æris campani turri se offert; eodemque tractu orientem versus

sus Capuccinis in leni declivi ab anno MDXL. asce-
 terium est satis accommodum, cum laxiori, amenissi-
 ma sylva. Eremitarum S. Augustini denique anno
 MCCCXCI. fundatum S. Annæ ædem in vico *Rosone*
 circa septentriones occupavit; Hinc in SS. Petri, &
 Pauli, XI. post anno, in eadem plaga, situ ampliori con-
 tra Suburbium constituitur, ubi latè patens area, nun-
 dinis Septembri mense habendis destinata.

De S. Basilii familia præ aliis insulæ opidis, no-
 strum non uno nomine meritum declarant celebra-
 rima ejusdem Monasteria. Antiquius S. Helię de Am-
 bula, sive de Bono Consilio ab urbe pass. M. V. ab-
 sens, Rogerium Comitem anno MCLXXX. habuit autho-
 rem, qui ex voto, quod ante receptum opidi vove-
 rat, largissimam addidit dotem, Joanne, eximię vir-
 tutis viro, primo Abbate ordinato. Monachis hodie
 vacuum, qui in S. Silvestri migrarunt, uti mox di-
 cam, Regio arbitrio commendatur. Abbas hinc in
 Comitibus XXXVIII. possidet locum. S. Michaelis Ar-
 changeli præclarior aliud, eidem quoque Comiti post
 triennium adscribitur, cui Robertum genere North-
 mannum (Fuit hic postea Troynę Episcopus, uti in-
 nui) Abbatem præfecit, nec minori liberalitate, ter-
 ras, ac bona attribuit. Novum, quod paucis ab hinc,
 ad omnem magnificentiam moliendum, D. circiter
 pass. in tumulo, qui subjctam oram meridionalem
 occupat, Monachi susceperunt, sub Regulari Abbate de-
 gentes, inspectione dignum est; Vetus ad II. lapidem
 distitum, loco humiliori, & insalubris aeris passim in
 ruinas abit, & venerandę antiquitatis reliquias vix
 servat. Fiduciarior ejus Abbas, Joannes Gregorius,
 Archimandrita, in Regni Consilio XXVIII. votum
 profert, Jura percipit pingua, congruamque ascetis

[pro]

pro mensa, & fabricis summam suppeditat. In eo S. Silvester Monachus vixit; at enim quum corporis sarcinam, in S. Bartholomæi Ecclesia deposuisset, duo inter cœnobîa jam descripta Carmelitarum, & Capuccinorum constituta, crevit hæc ab anno MDCXXV. piorum civium munificentia in decentissimum Monasterium ejusdem Ordinis, in quod sese S. Eliæ Monachi receperunt, uti Pirrus tradit, qui hujus Abbas cœnobii erge id tulit, relictumque vetustissimum conqueritur. Viget igitur S. Silvestri recens proprio sub Abbate, & fabricis in dies instruitur; In ejus autem Ecclesia decentissime exulta, sub altari etiam splendido, S. Silvestri corpus conditur, cujus sarcophagum in profundo solo dudum, nunc citra humanam industriam elevatum non sine prodigio tradunt.

Medio sedet jugo arx nova, recentioribus passim molitis fabricis veluti circumseptâ, ab austro tamen conspicua, in qua nonnisi nocentes custodiuntur, atque urbanis comitiis, & Magistratus conventibus cogendis aulæ deputatæ spectantur, brevi in laxiorem formam concinnandæ. Suburbium ad aquilonem cum Ecclesia parochiali, Archipresbytero suffraganea, S. Sebastiani Mart: titulo, elapsi sæculi initio coaluit. Peculiares per urbem civium ædes antiqui potissimum schematis non incomptæ, & majorum gentium complures amplitudine, & ornatu spectabiles; Viæ antiquo etiam more, ut situs fert indoles, inæqualiter extensæ. Sunt hodie lares 1576. cives 8314. qui anno MDCCLXIII. in Censu 5588. descripti. Sub Carolo Cæsare foci 929. sed ejusdem sæculi anno xcv. 1064. incolæ 4225. numerabantur; medio demum elapso sæculo foci 1527. animæ 5610. sunt computatæ. Tenebantur ad indigenam militiam

sub S. Philadelphi Instructore, & vexillum servabant equites viii. pedites xlii. Curatores iv. cum Syndico res civiles gerunt; Questor Criminum, ejusque a latere Judices jure gladii donantur. Regius Secretus, uti appellant, Curie invigilat negotiis. Castrum tribus instructum turribus, ante cujus fores Leo, pro tessera habet, & locum in Comitibus xiii. tenet. Ager frugum cujusque generis dives est; oleo, vino, oleis, fructibus, pascuis, venationibus abundat; greges, armenta, sues nutrit; Collem, cui civitas insidet, duo ambiunt ejusdem pene altitudinis. Ortivus *Moana* dicitur, occiduus *Cuculus*, ubi testudinati operis monumentum vetustissimum, *Pantheon*. Ibi rupes ingens vacua spectatur, quam conclusus ventorum flatus non raro agitat, & clamorosam reddit. Sub *Moana* amplissimum aquarum Castellum, unde cives hauriunt, quod vocant *Arapina* fontem.

Troynam Imacharam veterem urbem Scriptoribus celebratam excepisse affirmat Cluverius, quam inter Centuripes, & Capitinam, hodie Capitium locat Ptolemæus. Imacharensis agrum aliunde Assorino, & Agryensi confinem dicit Tullius. Incerti Ego situs Imacharam dixi, sed *Netinæ* Valli adjudicavi. Coeterò, nec Cluverio repugno, nec Aretio, & aliis, qui Imacharam ad Nicosiam statuunt. Sed Imacharam a Sarracenis direptam Petrus Diaconus evulgat; Rogerius *Troynam* florentissimam civitatem a Græcis cultam, ubi in Siciliam trajecit, sibi primum vindicasse, Annales Siculi produnt, cui obviam incolæ nullo non officii, & honoris argumento, sese e moenibus proripientes, venerunt, uti Malaterra testatum reliquit, & ex eo noster Fazellus commemorat. Hinc primam in Sicilia sedem ibidem Comes statuit,

statuit, Episcopali dignitate condecoratam voluit, seque, uxorem, ac suos diu in ea continens, veluti munitissimam principatus arcein habuit. In Northmannos milites aliquando, quod licentius, quã par erat, agerent, insurrexerunt *Troynenses*; at mox adveniens Comes turbas compescuit. Messana expugnata, sedem pontificiam in hanc veluti opportuniorem urbem transferendam ille curavit; verum *Troynensis* Episcopi nomenclaturam Robertus, simul ac Messinensis retinuit, Collegiumque Canonicum titulum quoque servavit. Sub Friderico II. *Troynam* Infans Joannes obtinuit, moriensque in Regias manus resignavit. Fridericus III. Artali de Alagona seniori attribuit, qui filium Joannem hæredem dixit; Mox Martinus rerum summa potitus, rursus *Demania* libus accensuit.

Illustratam egregiis civibus *Troynam*, omni pene ævo sequens illorum series prodit, primusque occurrit S. Silvester patrii Cœnobii S. Michaelis Monachus, cujus apud Cajetanum acta habentur. Floruit sub Guillelmo I. ac vitæ innocentissimæ exemplis, prodigiisque non paucis innotuit. Hunc sibi *Troynenses* in præcipuum Patronum adscivere, festumque ejus bis in anno, ingenti pompa celebrant, ac simulacrum, in quo pars sacri cranii conclusa, argentea thesa per urbem circumferentes, illi ad dies aliquot cultum exhibent. Vincentius Neapolis sub Philippo II. & III. Aulæ Regiæ Sacellanus, Patensis subinde Episcopus, zelo animarum, liberalitate in pauperes, aliisque præclaris virtutibus insignis, non sine sanctitatis fama MDCXLVIII. e vivis ereptus, & in sua Ecclesia summo honore conditus; ubi L. circiter elapso anno integrum ejus corpus miro flagrans odore inventum est; Paucis antequam mundo excederet,

Archiepiscopus Panormitanus adlectus fuit; Dum viveret, ad Agrigentinam pinguiorem vocatus primam deserere sponsam renuit. Ejus extant munificentiae præclarissima monumenta, uti Pirrus, & Mongitore testantur. Epiphanius Neapolis ejusdem nobilissimæ gentis ob spectatæ vitæ merita, Ordinis S. Basilii, quem professus a juventute fuerat, Abbas Generalis, mox Lysiriæ in partibus Infidelium Antistes, & Panormitani Cœnobii perpetuus Abbas. Vincentius Tortoretus Matriti a Sacris Catholici Regis effulsit, & S. Catharinæ de Belicis in Sicilia Prior. Illum omnigena, solidaque eruditione refertissimum, virisque Principibus acceptum Mongitorius in Bibliotheca Sicula deprædicat. Inter XII. Regni Viros adscitum, & magno literatorum dolore Panormi MDCXLV. denatum dicit. Habes ejus ingenii monumenta in eadem Bibliot: Epiphanius Guarnerius vivit S. Salvatoris Abbas, vir acris ingenii, & memoriæ penè admirabilis; eloquentia, doctrina, & in rebus agendis dexterritate præcipuus; in SS. Patrum, Ecclesiæ Canonum, morumque scientiis versatissimus. Josephus Neapolis Juris-Consultus primarius, sanguinis claritate, doctrinæ splendore, ac moribus incorruptis præditus, post omnes in foro emensos gradus, Regii Ærarii Præses, & apud Matritum ad ann: XVI. Supremus Consiliarius, Philippo IV. unicè acceptus, ab eoque Campibelli Dux renunciatus, Flios habuit insignes, qui *Troynenses* origine dicendi, Hieronymum Rahalsuttani Principem S. Jacobi Equitem, Josephum Belcastri Episcopum, Carolum S. Mariæ de Noara Abbatem, Græcis, ac Latinis literis instructissimum, uti ejus edita opera evincant. Carolus Neapolis Caussarum Patronus celeberrimus, M. R. C. Judex effulsit, insignemque *De*
De.

Demanii cum Dynastiis Concordia librum vulgavit. Meminit Mongitorius in laudata Bibliotheca Petri Vincentii Tudisco; Sebastiani Neapolis, & Leonis Corinthii, eosque Siculis Scriptoribus accenset.

TROYNÆ Fluvius, Symethi, totius Siciliae maximi, præcipuum est caput, unde Symethus nonnullis dicitur. Fontes habet ad Capitii collium radices in ortum, finesque *Troynæ* urbis dextera ripa abluit, ubi ponte trajicitur, ac ejusdem excipit aquas. Nec inde procul illas sub Cesaro profluentes sibi adjungit; postmodum Maniacenses devehendas assumit, & Gurgitis pleni, de quo alibi Symethum laudans disserui, juxta Maniacium, & Brontem in agro S. Dominicæ amplissimo latice demum augetur. Circa *Ætnæ* occiduas radices, his omnibus ingens factus, falcato cursu præterlabitur, atque ad agrum, opidulumque Carcacis pontem habet, ac nomen deperdit, adjunctusque Ciamaforo, seu Rahalbuti amni, *Jarretta* vulgo, & Symethus deinceps dicitur.

TURRIS GRYPHI Opidulum sub *Ætnæ* australis plagas, supra Catanam, in occasum æstivum, hodie *Massa Annunciata* ab ejus dynasta Massensi Duce, & Parochiali Ecclesia appellatum. Sedet inter Mafcaluciam, & Nicolosum a Mompilerio haud procul.

TURRIS MUTII, vulgo *Muzza*, ad oram maritimam aquilonarem Specula est, juris *Gabrielis Lancellotti de Castello*, igneis ballistis contra Piratas instructa, ac Principatus titulo clara. Spectat ad Motte de Affermo ditionem, quæ III. pass. M. in mediterraneis dissidet. Haud procul jacentis veteris opidi cadaver, uti ex ruderibus, ac mortalium sepulchris, vasibus, lucernis, ac numismatibus ibi passim occurrentibus eruitur, quod incerti est nominis.

TUR-

TURRIS NOVA Sub Orlando Promontorio in aquilonari littore cum hospitatoria taberna.

TURRIS PHILOSOPHI locus circa supremam *Ætnæ* montis verticem, occidentem versus spectans, ubi parumper hic inclinatur. Dicitur, uti tradunt, ab *Empedocle* celebri Philosopho, qui eo in loco aliquando, incendii arcana scrutaturus, confedit, quod esse fabulis accensendum putant Eruditi. Templi *Vulcani* vestigium, lateritium illud, quod videbatur, hodieque arena obrutum non apparet, creditur aliis. de quo vide *Vulcani Templum*.

TURRIS TUDIT Opidum in *Messanensis* Diocesis censu memoratum, hodie *Tortoricis*.

TYNDARIS Vetus opidum non incelebre, & Christianis temporibus Episcopali sede clarum, in editis rupibus situm, mari prominentibus olim erat; quumque illarum radices undarum æstu, ac vorticibus passim exesæ fuissent, dimidia pars urbis revulsa, subsidentibus scopulis in pelagus subito prolapsa dicitur. Quod enim ex terræmotu in Christi Domini morte corruerit, veluti fabula exhibilatur. Authores *Tyndaris* habuit *Lacones*, nomenque a *Tyndaro* *Læde* patre, *Elenæ*, *Castoris*, & *Pollucis* ex *Jove* genitricis; ideoque suis in *Numis Tyndaritanis* *Dioscuros* insculptos voluere. Floruit autem civium fortunis opulenta, rebusque maritimis commendata. Nobile in eo Templum, seu *Gymnasium*, uti *Cicero* appellat, *Mercurio* dicatum, elegantissimum hujus simulacrum habebat, quod olim *Pæni* substulere; *Æmilius* autem *Scipio*, deleta *Carthagine*, civibus restituit, qui ingenti aggratulatione suis sedibus reposuerunt. *Minnervæ* ibi cultum effloruisse, & *Dioscurorum*, ex *Numis* eruimus. Medio foro *M. Marcelli* quoque eque-
stris

stris statua videbatur. Verris nihilominus avaritia, Mercurii signum ad se Messanam delatum voluit, ut in sua Pinotheca collocaret; urbis Proagoram abnuentem virgis celsum summa ignominia affecit; factum hinc, uti omnium primi, Siculos inter, *Tyndarisoni* Romam usque de Verre conquererentur, Tullium causæ suæ patronum adsciscerent; Verrem denique Prætura se abdicare, Senatus sententia compellerent, uti idem Tullius testatum reliquit. Civili bello inter Augustum, Pompejumque exardescente, quum Sexti præsidio urbs occuparetur, eo ejecto, Agrippæ adhæsit, qui belli sedem *Tyndarim* constituit, naves instructas, socios navales, & in Navarchos sumptus ab ea accepit; A Cæsare idcirco victore libertate, atque a tributis immunitate donata.

Quod ex Diodoro porro lib: 14. cap: 79. eruitur de *Tyndaris* conditu, negotium faceffit nullum; Messenii enim, quos ille urbis nostræ initia dedicasse, affirmat, Lacones fuere a Laconia Peloponnesi Regione, quæ inter Argirum agrum, & Messeniacum extendebatur. Laconia quidem caput Sparta, sive Lacedæmon audiebat, cujus Populi Messeniis infestis, hos patriis sedibus, Dionysio Siculas res moderante, expulerunt. Dionysius porro, quum exules Messenios apud Zanciam collocasset, idque iniquo animo Lacedæmonios tulisse adverteret, traductis e Zancla Messeniis; circa Abacenum, locum juxta mare attribuit; ad incolendum. *Urbem Messeniam*, prosequitur Diodorus, *Tyndaridem appellaverunt, ac dū amicè rempublicam administrarent, multosque in civitatem adscriberent brevi numerus eorum ultra dccxcv. crevit. Postea crebras in Sicularum fines expeditiones fecerunt, & cum aliquot populis Murgantia, Agyra, Centuripis, Herbitæ,*
&

& *Affori societate inita, res suas auxerunt.* Timotheonti subinde cum Adranitanis sese adjunxere; Hieroni mox II. obnoxii; Marcello Syracusas obsidenti focii adhæſere; Hinc Silius: *Geminque Lacone Tyndaris attollens sese adfuit.* De Tyndaris denique meritis erga Romanos præſtat Tullium audire, qui hæc eorum nomine e roſtris protulit: *Nos in xvii. populis Sicilia numeramur. Nos ſemper in omnibus Punicis, & Sicilienſibus bellis amicitiam, fidemque Pop: Rom: ſecuti ſumus; a nobis omnia Pop: Rom: ſemper, & belli adjumenta, & pacis ornamenta miniſtrata ſunt.*

Chriſtiano evo auctam Pontificia dignitate Tyndarim ſcimus; Hinc Severinus ejus Episcopus in Romano Concilio ſub Symmaco ſubſcribit, & Theodorus in Lateranenſi; Eutycius apud Gregorium Magnum Epif. 60. lib: 1. memoratur, cui Pontifex, ejus opera complures idololatrias ad Chriſtianam traductos religionem, gratulatur. Denique in Leonis Auguſti Notitia Tyndaris Eccleſia Syracuſano Metropolitæ DCCCLXXXVI. adnotatur. Quo tempore media corruerit, & reliqua penitus deleta, incertum. Sub Friderico III. *Vinciguerram Aragonium*, ejuſque filium *Bartholomæum Tyndaris* dominos invenio. *Fridericus* ſub Martino Bartholomæi frater tenuit. Nihil deinceps de Tyndari; nec alia ejuſ ſuperest memoria, niſi Deiparæ celebre Templum prope veterem arcem, & S. Philippi Nerii illi adjunctum Oratorium, Vincentii Neapolis Paſtarum Episcopi opera; necnon a Matthæo Fazio etiam Episcopo conſtitutum ibi Minorum Obſervantium Cœnobium, ſubindeque deletum. Simulacrum in eo ex marmore Virginis antiquiſſimum, magno, ut par eſt, colitur obſequio, cum ab
accolis,

accolis, tum a remotis populis; tabellę autem ibidem appensę de beneficiis a pientissima Matre acceptis fidem reddunt. Festus illius dies ingenti demum frequentia cum nundinis vi. Idus Septembris celebratur.

Vetustę *Tyndaris* numismata Paruta exhibet vi. Argentea ii. cum *Tyndaris* vultu, & *Lęda* Cygno insidente, cujus sub forma Jupiter illam compressit; Veneris capite, & figura ejusdem nuda. Ex ære iv. cum pileis, caduceo, & spicis, Jovis figura, & stantis hominis clipeati; Capitibus Cereris, *Lęde*, ac *Minervę*. Epigrapha in omnibus TYNΔAPITAN. Nondum editum habet Antoninus Astutus Licodiensis, qui studiis hisce maximę delectatur, moduli minoris æreum, cum *Tyndaris* capite, & inscriptione, retro vero *Dioscuri* equo insidentes effinguntur.





ALDINA Opidulum, aliter *Mauro-Jannes*; in agro enim cognomine, loco elevato, ac leniter declivi illud sedet sub Rametta, ad æstivum occasū, pass. II. M. ab aquilonari maritima ora. Parochia S. Pancratii Episcopi titulo insignis, cujus est tabula antiquissima sub Ramettensi

Archipresbytero Sacerdoti Curato committitur, cum aliis VI. minoribus Ecclesiis; in Clericos Messanensis Pontificis vices gerens jus dicit, temporale dominium, uti appellant, ad Rocchæ Marchiones spectat; titulum licet Principatus, quo ab anno MDCXLVII. opidum fuit distinctum, *Joseph Pape, & Montapertus* seculari hujus anno VII. soluto pretio, sibi vindicaverit.

Primus porro, qui *Mauro-Jannem* tenuisse invenitur, *Joannes Roccha* sub Friderico II. in ejusdem Censu occurrit; ideoque Rocchæ opidi author creditur. Alterius Friderici Regis ævo, *Perronius Joannius*, ejusque hæredes habuere. Ab his *Joannes Tarrantus* Catanensis M. R. C. J. emit, a Martino MCCCXCII. confirmatus, qui non diu post *Nicolaus Castanea* cessit, aliis ab eo feudis donatus. Alibi, qui *Nicolaum* excepere, descriptos habes ad annum usque MDIX. quo *Gilibertus Polichinus* *Andrea Valdina* vendidit. *Sancii Orioles* eodem sæculo Roccham, & *Mauro-Jannem* juris fuisse invenio, cui loco pignoris fortasse addicta. *Petrus* enim *Valdina* *Andrea* abnepos, primus *Valdina* Princeps MDCXLIII. se offert, & Rocchæ Marchio, Siculæ Militiæ in Langombardia Præfectus, Panormi Prætor, Regni XII. Vir, cujus hæredes utrumque opidum tenere, vivensque Marchio

cum

cum gladii potestate, *Joannes Francisci* filius in Comitibus votum xx. profert. Sunt *Valdinæ* foci ex ultimo censu 124. animæ 451. & novissimè 475. Anno vero elapsi sæculi lII. lares 59. incolæ 196. descripti. Degunt sub Mylarum Comarchia, & Pactensi Institute; agro fruuntur oleis, moris, vineis, aliisque fructiferis arboribus abundè confito, & pascuis ubere.

VALERIA VIA Straboni lib: 6. memoratur, qui ex antiqua Romana Chorographia Siciliae latera describens per intervalla, concludit: *A Messana Lilybæum Via Valeria xxxv.* sive uti emendat Cluverius ccxxxv. subditque: *Hæc autem Valeria via nulla alia fuit, quàm qua etiam nunc a Messana per Mylas, Tyndaridem, Cephalædim, Thermas, Panormum, & Drepanum itur Lilybæum usque cxxl. circiter passuum millium.*

VALLIS CURRENS, *Valcurrentis* vulgo, Catanam inter, & Paternionem ager amplissimus est; Fazelli ætate Vicus, in Caroli V. Cæsaris Censu la-ribus ix. conflatus; ad præclarissimam Joeniam gentem olim, hodie ad Columnam spectans. Ibi aquarum fontes uberrimi, quæ complures revolvunt nunc triticeas molas; vetusta autem ætate in Aqueductus Catanenses corrivatæ, ad eandem devehebantur urbem, navalibus in Naumachia ludis edendis, aliisque civium commodis destinatæ. Castelli visuntur non pau-cæ ibi adhuc reliquiæ, quod aquarum rivulis in unum colligendis deserviebat. Ruralis Ecclesia ad colonorum pietatem fovendam Deiparæ titulum refert, & Sacerdotium adnexum habet. Erat sub Friderico II. *Vallis Currens* Blasco de Alagona obnoxia.

VALLIS VIRIDIS Acis Municipium cum Parochiali Virginis Ecclesia, ob ejus pulcherrimam

in muro depictam imaginem undique celebri, quæ Andreæ Riggio Catanensis Episcopi opera ab anno MDCXCVI. in magnificentissimam crevit basilicam, cum æris campani turri, & adnexo Augustinensium Excalceatorum Cœnobio. Prima illius origo anno MXL. consignatur, ac cuidam Dionysio militi sub Georgio Maniaco merenti, adscribitur, qui ex grassatore benignæ Matris voce ad meliorem frugem conversus, ea in æde illi deinceps addictus vixit. Ferunt ad eandem Fridericum III. se contulisse, Deiparam veneraturus, & Regia munificentia dotatam, ut consecrationis insignibus exornaretur, voluisse. De inventa imagine, prodigiis innumeris clara, fusè Cajetanus, ac Massa, & in Catanæ Historia nonnulla Ego protuli. In ara e marmore affabre elaborata locatur illa, gemmisque, & auro vestis contegitur; ac vasis argenteis ex voto oblatis ornatum Sacellum nitet. Puerulum Jesum Diva gerit in ulnis, quo nil venustius spectari potest. Corda intuentium Mater, & Filius eo amoris vinculo illigant, uti ab iis avelli egre patiantur; summa hinc frequentia nedum e proximis opidis, sed e Catana, quæ VII. M. abest, singulis Sabatis ad illorum cultum mortales accurrunt; sed pene immensa illa est, ultimo Augusti mensis Dominico die, quo ad festum ingenti pompa, ac pietate celebrandum e Messana etiam conveniunt. Adhæret Monasterio elegans Dynastæ palatium ab Aloysio Riggio Campifloridi Principe nuper extructum, qui cum uxore Catharina, ante sacelli clathros sepeliri voluit. Spectatu omnino dignum assurgit hinc e conspectu, cum amborum statuis sepulchrum.

Minor alia Ecclesia cum sodalio haud procul conspicua videtur, a *Misericordia* appellata, ac in
 si u-

Singulis vicis suffraganeæ etiam sacræ ædes habentur. Sunt autem vicorum nomina vulgaria *Curmacis, Fontana, Catalrofatus, S. Nicolaus* ad meridiem; *Murgionis* ab occasu, & *Belliflores*. Spectabat *Vallis Viridis* opidulum ad Acis S. Antonii Parochiam, cum qua illius lares, & incolæ censi sunt. Ducatus titulo ornatum voluit, Caroli II. privilegio, laudatus *Aloysius Riggio*, qui *Aloysio* subinde *Cajetano* cessit, eoque Paliconiæ Princeps jure uxoris *Maria Cajetano* fruitur.

UCRIA Opidum Principatus honore decoratum, contra Raccudiam III. pass. M. in collis declivi ad ortum sedet, cujus est Parochia S. Petro Apostolorum Principi sacra, sub Archipreabyteri inspectione, & suffraganeæ Ecclesiæ X. S. Dominici familia sæculo XV. ortum ibi recognoscit, decensque habet Monasterium. S. Francisci Conventualium anno MDXIII. in Ecclesia Sodalitii *Flagellatorum* coaluit, quorum, uti Cagliola testatur, locus ædificiorum est indigus. Sacrarum Virginum denique sub S. Benedicti institutis collegium Parthenone utitur non ineleganti. Castrum editiori situ ad occidentem, spectandum se præbet, quod hodie derelictum. Larium numerus, & opidanorum, uti in Regiis libris adnotatur, varius est. Sub Cæsare enim Carolo V. descriptos lares 243. incolas an: MDXCV. nulla proportione 1643. computatos lego. Anno MDCLII. lares 833. incolæ 3214. inveniuntur recens. Nostri hujus sæculi anno XIII. foci 414. animæ 980. & novissimè 1897. Merebant in militia indigena sub Pactensi Instructore, ac Comarchia, Tortoricis clauduntur.

Abbo Barresius sub Northmannis possedisse dicitur, mox *Fridericus Campisanus*, unde ad *Guillel-*

mum Perollum devenit. *Guillelmus de Insula Miles Ucriæ* dominus dicitur in Friderici II. Censu. *Joannes Vigintimillius* sub Martino cum Sperlinga obtinebat, qui moriens *Agatha Peralta* reliquit, ut de consumptæ dotis summis compensaretur. Hæc *Gabrieli Abbati* mccccxxxiv. donavit de Alphonsi Regis voluntate. Ex dote N. *Abbatis, Gabrielis* junioris filia *Petrus Marquetti* mdxcv. ad suos transmisit. Hos *Franciscus Paganus & Marquetti* medio elapso sæculo excepit, qui Principatus insignia ejusdem, an: lxxii. obtinuit. Ejus filius *Antonius Philibertus* Lauriam Lombardo in uxorem accepit, ab eaque *Flaviam* filiam obtinuit, quæ *Vincenzio de Joanne Saponaræ* Duci nupta, *Victoriam, Dominico Alliatæ Villefranchæ* Principi uxorem mundo peperit. Vivit *Flavia* S. R. Imperii Princeps, Insignis Ordinis de *Cruce* Matrona. *Ucriæ* ager irriguus, olei, & serici ubertate colonos ditat; fruges, olera, fructus, pascua liberaliter præbet. Gradus ejus longitudinis est xxxviii. xxxv. latitudinis xxxviii. x.

S. VENERA Castri Regalis municipium a *Plano* denominatum, ab urbe in aquilonem iii. pass. m. distidet cum Parochia cognomine. Ejusdem S. Virginis Crypta cum æde sacra in Castri Regalis territorio, quod ibi illa delituerit, ostenditur; necnon monumenta alia, fons, amnis, nemus indicantur sub ejus patrocinio, & nomine; ortam quippe, & pro Christo Domino passam circa hæc loca Castroregalenses deprædicant. Memoratur *Crypta* in *Adelasæ* Reginae literis de anno mcv.

S. VENERÆ PUTEUS in Acis agro ad hybernum occasum prope Vicum a *Porta* appellatum. Aquæ in eo sulphuræ ebullit, cutaneis morbis curandis

randis aptissimæ; Ecclesia prope assurgit, ac thermales dirutæ officinæ haud procul spectantur.

VENETICUM Opidum sub Rametta situm, cujus urbis Archipresbytero Parochia S. Nicolao Episcopo sacra subditur; Sacerdotem idcirco Curatum in ea ille delegat, qui minoribus vii. Ecclesiis præest. Sedet porro in tumuli declivi solo bis x. pass. a littore ad aquilonem; arce, sive dynastæ amplissimo palatio veluti coronatum, a quo non multum laudatum majus Templum distat, ad omnem elegantiam assurgens. Frons enim, & æris campani turris conspicua, interni parietes marmorato insigniter concinantur, nec in sacellis elegantia desideratur; Christi Domini denique vultus affabre expressus in sacrario colitur. Minores Observantes sæculo xvi. in SS. Trinitatis Templo confederunt, amplo, & magnifico pronao, ac turri exulto, cellisque, ac peristylio adherentibus spectando. Civiles ædes non incomptæ, quarum census sæculo xvi. apparet nullus; sequentis medio 210. descriptæ, cum incolis 637. Anno mcccxiii. foci 287. incolæ 731. ac nuperrime 1265. computantur. Mylarum Comarchia comprehenditur *Veneticum*, & Paëtarum Instructorem recognoscit. Agro utitur moris, oleis, vitibus, fructibusque feraci. Sub altitudinis gradu xxxviii. xv. ac longitud: xxxix. xv.

Simon Veneticus primus offertur sub Northmanis agri cognominis dominus, cujus nepos *Simon junior Judici Arduino* donavit. Hinc *Arduinus de Arduino* in Friderici Regis censu, & in illo Martini *Philippus* ejusdem gentis occurrunt. Circa xv. sæculi medium *Spataforas* invenio, quibus obnoxium *Veneticum* dicitur; Mortuo enim *Gerardo* ex *Arduinis* postremo, emit a Regiis Consularibus *Conradus Spatafora*

tafora, Alphonso suis literis mccccxlvii. confirmante, quem *Fridericus* filius excepit. Anno mdcxxxix. *Franciscus Spatafora* primus *Venetici* Princeps Philippi IV privilegio evasit, cui *Joseph Dominicus* nepos successit, fratris *Mutii* filius, qui absque prole florenti ætate defunctus; unde *Dominicus* ex *Guttierre* natus obtinuit; fuit autem *Guttierres* alter *Francisci* frater. Ex *Dominico*, & *Josepha Brancifortia Mutius* prodiit, a Regiis Rationibus Magister, *Victorii Amedei Sabaudia Ducis* Aulicus, xii. Regni Vir. Uxor illi fuit *Anna Cajetano*, cum qua *Dominicum* genuit hodie in vivis agentem, *Catharina Moacadæ* sacris vinculis adjunctum, Regi a Cubiculo, Nobilem *Ventum*, quæ sanè dignitas ad singulos de gente *Spatafora* ab an: mccccix. obvenit. Habent dynastæ gladii potestatem, & in Comitibus locum xxxvi. Memoratur *Venetici* civis inclytus, *Angelus Scibilia Societ: Jesu* puritate animæ, & corporis admirabili; qui xviii. annos instituendæ in scholis juventuti, ac xxx. educandis Instituti tyronibus summo animarum lucro impendit, ac pretiosa morte decessit.

VIA GRANDIS Opidum sub *Ætna*, ix. circiter pass. m. a *Catana* in æstivum occasum, cujus erat cum aliis circa eandem regionem municipium; Sub *Monte Serræ* planum occupat locum, nomenque accepit, quod in *Via*, qua *Messanam* olim iter erat *Regium*, sita, occurrebat. Princeps ejus *Templum Deiparæ de Odigitria* dicatum, subjectam habet *S. Blasii Ecclesiam*, ubi vici *Viscaroli* accolis, qui elevato sedet solo, sacra administrantur, & minores alias vi. suffraganeas cognoscit. Incolarum præcipuus Patronus *S. Maurus Abbas*, cujus festum sollempnem diem cum pompa celebrant. Larium autem numerus hodie

die 472. quos inhabitant 1951. in Acis Comarchia, Catanensi Diœcesi, & Tricastanensi Principatu, quamvis *Viagrands* Baro in publico Regni Consilio locum occupet LVII. In territorio vineis, pomariis, & pascuis referto, S. Mariæ de Cava vetus Prioratus, ad Catanensis Ecclesiæ Canonorum Collegium spectans assurgit, cum Ecclesia circa aquilonem; Sacra etiam ædes Deiparæ Annunciatæ in ortum epigrapha ornatur, quæ anno MXXIV. sub Mauritio Epif. & Rogerio Rege, ædificium ab *Viagrandsibus* constitutum designat.

VIA VALERIA. De ea paullo ante.

VIGILATOR Fluvius in Castri Regalis, & Mylarum agro. Vide *Quartalarus*.

VIRIDARIA Vicus cum S. Pancratii Ecclesia in ora Sinus, Tauromenio ad austrum subjecti. Statua ibi ejusdem S. Episcopi habetur in ortum vergens.

ULYSSIS Portus in orientali Catanæ ora, hodie Statio *Lognina*, de qua dixi. Nomen habuit, quòd Ulysses cum sociis eò appulerit, uti Homerus cecinit Odyss. lib. 9. & in Polyphemi Cyclopi manus incidere. Plinius latus Siciliæ ad ortum describens: *Tauromenium, quæ antea Naxus; Flumen Asiænes, Mons Æna, Scopuli tres Cyclopi, Portus Ulyssis, Colonia Catana*. Ad hunc quoque Æneam cum suis deducit Virgilius Æneid. l. 3. vocatque ingentem, & ab accessu ventorum immotum. Cluverius ad Erycem *Ulyssis Portum* statuit, & Cyclopium terras, contra quàm reliqui sentiunt Scriptores. Quod non inficior, si de altero *Ulyssis Portu* intelligit; ad littus quippe Erycis potuit *Ulysses* in suis erroribus appellere, uti & de Ænea tradit Virgilius. De hoc nostro cœterò fusius scripsi in Apparatu ad Catanensem Hi-

Æriam, ubi de tempore, quo Ætnæi incendii motibus fuit devastatum differui; varias scriptorum opiniones referendo; & an. mcccxxxi. id evenisse statui.

UMBILICUS SICILIÆ, Enna urbs vulgo creditur, sed Artesinum montem insulæ medium occupare, qui ab Enna haud procul assurgit, alibi asserui, in cujus vertice tres erecti lapides; totidem Siciliae valles respicientes.

VULCANIÆ INSULÆ, Æoliæ, de quibus actum, ita appellatæ, quod montes habeant ignivomos, Vulcani nomine ubique terrarum nuncupatos.

VULCANIA Insula, inter Æolias, hodie ignem eructans. *Hiera* veteribus, idest Vulcano sacra, & *Therasia*, sive *Thermessa*, de quibus dixi. Subdam hic: *Vulcanism* in ambitu pass. m. iv. habere. Sterilis est omnino, ac salebrosa, sulphure tamen infecti lapides Liparensibus commodum præbent, ut in fistilibus lebetibus collectum illud repurgent, & quæstum non mediocrem inde faciant. Strabo expirationes ignitas ex tribus crateribus videri tradit, ex quorum maximo flammæ etiam massas efferunt. Polybius, eodem Strabone referente, e tribus crateribus unum aliqua sui parte collapsum, reliquos perstare ait: *ac maximi orificium rotundum esse ambitu, fermè v. stadiorum, paulatimque in arctum coire, eo usque, ut diameter l. sit pedes longa, atque inde ad mare usque altitudinem esse unius stadii, ut conspici ventis non stantibus possit*. Similia habent Diodorus, Apollonius, ejusque Scholiastes, qui subdit: Theophrastum tradere, fragorem ignis ad m. usque stadia audiri.

Fazellus denique: *Hæc in medio maris aquis circumfusa perpetuo ardet; enimvero ex voragine, quæ in medio patet, jugiter fumi nebulam eructat, & pro modo*

*modo efflantium ventorum Euri, vel Africi fumum interdum, quandoque favillas, nonnumquam etiam ignem ac pumices evomit. Intus vero per juncturas lapidum, & cancellos, angustosque meatus exurens simul, & pallens ignis inter ipsam fumosam caliginem emittitur. Subdens porro: Eam non ab initio cum orbe enatam, sed anno ab Urbe condita DL. repente in pelago emeruisse, ex ingenti memoriæ lapsu, uti Cluverius advertit, id illi excidit; CC. enim ante indicatum annum, *Vulcania* meminit Thucydides, & post hunc C. circiter annis Aristoteles. Paulus quippe Orosius, qui Fazello imposuit, ubi lib: 4. cap: 20. ait: M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone Consulibus: *In Sicilia Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente in mari edita cum miraculo omnium usque ad nunc manet.* De *Vulcanello* intelligit.*

VULCANELLUS Insula, seu Scopulus tenuissimo euripo a *Vulcania* recedit, quæ & ignem ipsa aliquando evomit. Euripum ad ætatem usque suam pervium dicit Fazellus, ac fidam navibus stationem præbuisse. Verum interjecta ex *Vulcaniæ* caminis cinerum, & lapidum mole, præclusum subinde affirmat. Hæc de novo e mari emersa insula est Orosio; constat enim ab initio non extitisse, nulli utpote ex veteribus memoratam.

VULCANI TEMPLUM in *Ætna*. *Ælianus de Animal: lib: 2. cap: 3. In Ætna Sicilia monte sacra est Vulcani ædes, & circa eam luci, & arbores sacra. Ibi ignis perpetuus, & inextinctus asservatur. Sunt & Canes in Templo, lucosque sacri, qui modeste, & decenter in Templum accedentes, blande, & adulantes excipiunt; At si quis sceleratus, aut manibus impurus adeat, illum & mordent, & laniant.* Meminit

T. III. P. II.

Q q 2

Templi

Templi hujus Pindari Scholiastes. Tullius Ætnam montem Vulcano fuisse sacrum testatur. Gratius Vulcanaria sacra in eo fieri commemorat. Situm credunt Cluverius, & Fazellus a summo vertice haud procul, ubi rudera, ac lateritium, vulgo Turris Philosophi. Verum nec ibi lucus, arboresque succrescere, minus mortales vivere, ac canes, ob nivium ingentem vim brumali tempore poterant. Carrera idcirco ad montis radices statuit, loco aptiori ubi sylvas excolere daretur, & canes alere, quo demum facilis esset mortalibus religionis ergo accessus.






AGGIS Opidulum, & Tauromenii olim municipium. Vide *Gagis*.

XIPHONIA Urbs vetustissima, eo loco sita, ubi hodie *Gasena* circa meridionalem Acis opidi oram in sinu Catanensi; Vide *Acis*.

XIPHONIUM Promontorium, *S. Annae Caput* Sinus Catanensis ad aquilonem, sed respicit ipsum acuminate desinens in meridiem, gradusque longitudinis xxxviii. xv. latitudinis vero xxxvii, xxv. habet. Impositam Turrim ostentat cum ballistis incendiariis ad littoris custodiam a *S. Anna* indigetata, de qua dixi. Cluverius *Xiphonium* ad *S. Crucis* caput, quod est alterum ejusdem sinus meridianum, constituit, cujus etiam in *Neti Valle* memini.





Z A

AERA Messanę Vicus in austrū. Vide *Cicero*.

ZAFFARIA Messanę Urbis municipium in Dromo, cum sacra æde Parochiali S. Nicolao Episcopo dicata, fronte, turri, & ædificiis conspicua post fluentum ejusdem nominis sita. Laribus con-

flatur 120. in quibus capita 488. Census exhibet de anno MDCCXIII. sed hodie numerantur 381.

ZANCLE Vetustissima Sicilię urbs, ubi Messana hodie spectatur, a falcata portus celeberrimi figura; Nam *Zancle* Græcis, Latinis est *Falx* appellata. A fabulis enim abstineo, quæ a Saturni falce ibi relicta nomen habuisse *Zinclam* evulgant. Bonifilius in proximis collibus sitam affirmat contra portum, quod ex antiqua Castellacii arcis cisterna deducit; alii passim eodem fundatam loco a primis insulæ habitatoribus tradunt, quem hodierna occupat. *Zancleorum* egregia facinora habes in historiis, nam *Zanclum* memorant, & Orionem urbis, ac proximæ regionis Principes, huncque *Zancle* instauratorem volunt, quamvis nonnullis author dicatur, portusque instaurator. Consule *Messana*.

ZAPPARDINUM Casale ad Paestensem Ecclesiam spectans, cujus meminit Pirrus ad an: MCCCXVIII.

ZAPPULLA Fluvius. Fontes habet sub Galati opido, unde denominatur; Quorum aquis Tortoricis amnis sese adjungit; Castanię, & Nasi, aliorumque opidorum fines subinde interfuit, & a Fitalia arce vocabulum fortitur; tandemque post Orlandum promontorium ad occasum aquilonari Sicilię litore ostium habet, ubi ponte transmittitur.

FINIS II. PARTIS

T O M I III.

H Abes humanissime Lector Topographicam uai-
 versæ Siciliae descriptionem, v. ab hinc anno
 adornari cæptam, tandemque pro modulo meo die-
 bus hisce absolutam. Uberior prodiret, si de præ-
 cipuis Insulæ Civitatibus edisserendo, stylo indul-
 xissem; at quum præ omnium manibus historicae il-
 larum satis proluxæ prostant notitiæ, paginas onerare, ac tua abuti tolerantia nolui. Confer, quæ de patria Catana unice Mihi dilecta parcissime protuli, & aliis, quas etiam summè vereor, injurium, brevitati nimium studendo, minime caussaberis. Cœterò eruditissimi Archangeli Leantis elucubrationem consulas velim, ubi juxta Salmonis methodum, quæ in hac rerum præsentia de singulis notatu digna sunt, eo acri judicio, elegantia, ac ordine profequitur, uti vix aliud supersit in hoc genere, quod desideres. Longitudinis, ac latitudinis gradus quod attinet, Nicolai Seutteri, qui ex Fazello eruit, Me usum tabulis, ultro fateor; Quamvis novissimas Comitissæ de Schmettau observationes minime neglexerim, qui eotam, jussu Caroli Cæsaris, obivit provinciam, atque insigniora præsens lustravit loca. Fazelli enim vestigiis insistere Operis ratio exposcebat, quod non est nisi illius Appendix. Nuperrimum denique, uti appellavi, larium, & incolarum numerum singulis urbibus, opidisque appictum, illum intelligas, quem Villæ Rosæ Dux, Franciscus Notarbartolus, XII. Regni Vir, ante annum MDCCL. Regio nutu privatim exaravit; Census enim publica auctoritate paucis ab hinc initus, nondum prodiit. His te motum ad calcem volui. Vale, & nostris dare veniam ausibus ne graveris.



Ad,

Addenda, & corrigenda.

IN Tomi II. parte I. Fol. 365. *post* enumeratur, *adde*: Ejus vivit Civis Mercurius Tereſius, qui ſacris, & humanis literis apprime inſtructus, in Sacra Sicula Hiſtoria verſatiſſimus, Monumenta vitæ Servorum Dei Sicilienſium collegit, notis illuſtravit, atque e- denda quamprimum parata habet. Procelo commiſit *de Bonis Spiritualibus Deiparæ Cultoribus impenſis, & Siciliam Marianam, ſive de ſingulari Siculorum in Virginem Studio, & Religione.*

In Tomi II. par. II. fol. 51. lin. 17. *post* coactę, *adde*: Ille præ cœteris Medicorum, cujus originem ac progressus nuper eruditiffimus Joſeph Ruſſo de Gregorio peculiari opusculo deſcripſit.

Fol. 114. lin. 32. *post* retuli, *adde*: Celebrant eximium Pictorem Petrum Aſorum, qui altero captus oculo, Cæcus *Rahalmui* dicebatur, quo nomine egregia ejus opera veniunt.

Fol. 119. lin. 30. RAJA, Opidulum olim Sarra- cenicum, Latino ore Vexillum, unde habitatores Ca- ſtrum Novum migrarunt, auxeruntque. Memoratur Guillelmo II. in literis circa fines Montis Regalis Parochię ſignatis, ac in Topographia Arabi, ubi hic a Corilione paſſ. m. ix. a Palatio Adriano haud pro- cul *Rajam* adnotavit.

In Tomi III. Par: I. fol: 85. lin: 12. *post* infe- rius, *adde*: Ibi eſt mortalium vicus cum Parochia.

Fol. 103. lin. penultima *post* MDCLIX. *adde*: An- toninus Minor Capuccinus, morum pietate, & do- ctrinæ præſtantia illuſtris, erga Manes piacularibus flammis addictos, ſumma religione affectus, qui mo- dos omnes illis juvandis ab Eccleſia præſcriptos com- plexus, typis Commentarium Tomis II. vulgavit.

Fol.

Fol. 138. lin. 9. *post* Cajetanum, *adde*: Julius Philotheus de Homodeis, Gallia Delphini cum Angelica Lauria Nobili Sicula puella amores iv. libris expressos e Northmannico idiomate Etruscæ reddidit linguæ.

Fol. 194. lin. 25. *adde*: CRATAS Mons. Vide *Madonia*, & *Nebrodes*.

Fol. 269. linea ultima *post* respondet, *adde*: Antonius Fermo Sacerdos, vitæ sanctimonia clarus. Messanæ Jesus, & Mariæ sodalitiî author fuit, atque eximiis virtutum exemplis enituit. Mortuus anno MDCXXXVI. magnifico elatus funere, Senatu adstante, & Cathedralis Collegio, inter populi plausus, uti vir sanctus sepultura mandatur. Scriptam ejus habes admirabilem vitam a Samperio, Mirello, & Salvago. Elogium quoque illi contexit Mongitore.

Fol. 271. *post* lin. 8. *adde*. IMACHARA vetus opidum, cujus in Netina Valle memini. Vide *Troyna*.

Parte II. fol. 8. lin. 15. *post* sunt, *adde*: Memoratur ejus Civis Franciscus de Miciele ex Parocho S. Leonardi Messanæ, & Archimandritæ Vicario pro vitæ meritis, atque in rebus agendis peritia Episcopus primùm Amathunthæ in partibus Infidelium, mox Liparensis Pontifex, in ea regenda Ecclesia eximie se commendavit.

Fol. 31. lin. 9. *post* deputantur, *adde*: Æneum quoque Caroli Regis III. elegantissimum simulacrum, nobili e marmore basi nuper impositum, eandem exornat viam contra emporium.

Fol. 125. lin. 7. *post* lib. IV. *adde*: Franciscus de Simone Regius Caroli II. Sacellanus, Abbas S. Michaelis de Troyna, qui Monasterii sui jura strenue defendit. Sebastianus Coppola Canonicus S. Petri de

Palatio, & Panormitanæ principis Ecclesiæ, Judex,
& Synodalis Examinator, tandem S. Eliæ de Ambula
Abbas. Floruit MDCLV.

Fol. 248. lin, 33. *post* audit, *adde*: *Baliatum*
S. Stephani, ita appellant, *Robertus de Naso* a Fri-
derico III. anno MCCCXIX. sexennioque post *Joannes*
Saccanus ab eodem Rege obtinuit. In Censu Mar-
tini I. sequentis sæculi anno VIII. *Raynerius de Ossa*
Casalis S. Stephani dominus dicitur. Ad Marullos
Messanenses nobiles sæculo XVII. spectabat, unde
ad *Cirinos* transit. Regi subinde cessit; quumque
Pezzolum, *Bricam*, ac tres *S. Stephani* vicos supra
memoratos complecteretur, distractis aliis, *Josephus*
Cirinus S. Stephani Superioris, & *Medii*, pretio ex-
soluto MDCXXXIV. dynastiam tantum, seu *Baliatum*
accepit. Hujus filia *Agatha Cajetano Amato* conjugii
ex dote assignavit, ex quibus *Maria* prodiit, quæ
Philippi V. privilegio MDCCV. Dux *S. Stephani* re-
nunciatur. Hæc *Blasio de Spuches* nupsit, unde
Joannes Baptista in vivis agens.




Pag. lin.		Pag. lin.	
6. 32.	ongel longe	124. 13.	egrotus egrotos
8. 5.	tenet tenent	129. 18.	intentaret inten-
14. 12.	Friderici Friderico		tarent
32.	Blancæ Blanchæ	143. 11.	Virgnibus Virgi-
23. 20.	paifumper parum-		nibus
	per	144. 21.	Vincentius Carolus
29. 33.	quoquum quaqua	148. 11.	suspicit fuscipit
37. 10.	facris fociis	157. 16.	intea intra
49. 23.	qui quæ	168. 31.	Archipresbyterū
58. 3.	Jodanus Jordanus		Archipresbyterum
66. 21.	actus factus	171. 9.	doctrina doctring
81. 23.	Ferrandinæ S. Jo-	176. 12.	Oratius Horatius
	annis	180. 4.	Virarius Vicarius
27. post 449.	adde com-	10.	subjeſta ſubjeſta
	putat	184. 20.	indicio iudicio
98. 29.	inculpta inſculpta	201. 17.	splendida ſplendidē
99. 8.	diſtinquitur diſtin-	226. 11.	Saros Soros
	guitur	248. 21.	elatori elatori
111. 24.	efflatur efflatur	152. 12.	praclarus præclarus
115. 6.	digniſſima digniſ-	259. 7.	reliquos reliquas
	ſimum	292. 21.	ſios filios









2



